



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

Secvndvs Liber

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

SECUNDVS LIBER

ERVDITIONIS RELIGIOSO-

rum, qui ordinat proprium corpus Religiosi:

Et continet tres partes. In prima parte osten-

dit quòd corpus nostrum est disciplina-

bile. Et agitur de Disciplina

in communi.

CAPVT I.

IN parte precedenti ostensum est, quomodo ille qui mundum reliquit, & ad religionem venit, debeat se habere ad mundum: in hac parte ostendendum est, quomodo se debeat habere ad corpus proprium. Inimicatur mundus Deo & seruis eius, secundum illud: Si mundus vos odit: scitote *Ioan. 15.* quia me priorem vobis odio habuit. Corpus etiam inimicatur spiritui, secundum illud: Caro concupiscit aduersus Spiritum. Hostes isti dissimiles sunt. Inimicitia mundi sunt implacabiles: *Gal. 5.* & habet mundus pugnatores innumerabiles: ideo expedit seruis Dei hostem istum fugere. Alium verò hostem, scilicet corpus, non possunt fugere vel fugare: nec licet eis illud perimere. Necessariò enim habent illud circumferre: quia alligatum est spiritui; & Dei ordinatione debent ei necessaria providere. Sed diligenti studio & labore, ille qui est in religione, ad hoc debet intendere, vt hunc hostem in seruum disciplinatum, & fidelem possit conuertere.

Et

*Matth. 11.
Glossa or-
din. ibi.*

Et notandum quòd corpus ad seruiendum spi-
ritui datum est. Rebellio corporis ad spiritum
non fuit ab initio, sed ex vitio: vnde potest cor-
pus in seruitutem spiritus redigi. Redigendo ve-
rò, in principio est molestia & difficultas: sed ad-
iutorio diuinę gratiæ, & longa consuetudine ef-
ficatur, vt ibi sit iucunditas. Vnde super illud: Iu-
gum meum suaue est, dicit Gloss. Quomodo iu-
gum Christi suaue est, cùm dicatur, arcta est via
quæ ducit ad vitam? Sed angusta est: quia non
nisi angusto initio incipitur: processu verò tem-
poris, ineffabilis delectationis dulcedine dilata-
tur. Et in lib. de Vita solitaria, distinguuntur tria
genera hominum, ex quibus constat omnis sta-
tus religionis: scilicet incipientes, proficientes,
& perfecti. In statu verò istorum tres gradus di-
stinguuntur. In conuersione incipientis, initium
boni est obedientia: proficientis, subiicere cor-
pus suum, & in seruitutē redigere: perfecti, vsu
boni consuetudinem veritatis in delectationem.
In eodem: Inordinata natura per peccatum, & à
conditionis suæ rectitudine exorbitans, si fuerit
ad Deum conuersa, recuperet citò, pro modo ti-
moris & amoris quem habet ad Deum, quęcun-
que perdidit auersa. Et vbi cœperit spiritus re-
formari ad imaginē conditoris sui, mox etiam
reflorescens caro, ex voluntate sua incipit con-
formari reformato spiritui; nam & contra sen-
sum suū incipit eā delectare, quicquid delectat
spiritū suum. In eod. Facillimū & delectabile ef-
fet, adiuncto amoris Dei cōdimento, secundum
naturā viuere, si insania nostra nos permitteret:
qua sanata, statim naturalibus natura arridet.

Quod

Quod cura nouitij primò circa corporis disciplinam debeat esse.

CAPVT II.

Nouitij cura primo debet esse circa corpus, & exterioris hominis compositionem: sicut Deus corpus Adam primò formauit: postea spiraculum vitæ in faciem eius inspirauit. Et sicut in utero materno corpus primò formatur: postea rationalis spiritus ei infunditur: sic informationi & disciplinæ corporis debet primo intendere, qui nouus est in religione. Non prius quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale. Nouo militi Christi, cui imminet forte bellum, necessariū est habere equum benè edoctum: non lentum, vel effrenem, vel umbrosū, vel aliter vitiosū: sed seffori obedientem, laboris & percussionum patientem, strepitum non timentem. Equus paratur ad diem belli. Dominus autem salutem retribuet. Non est negligenda spiritui corporis sui cura: per quod etiam in statu culpæ differt ab Angelo malo. Reconciliabilis enim est Deo per pœnitentiam: dum est vnitus carni. Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. In illo solo est susceptibilis primæ gratiæ: in illo solo est ei locus merendi.

1. Cor. 15.

Pro. 21.

Gen. 6.

Tractando de disciplina corporis: Primò, disciplinam describemus vt agnoscat. Secundò, eam commendabimus vt ametur. Tertid, viam perueniendi ad eam ostendemus, ne in acquisitione eius inaniter laboretur. Quartò de eius partibus prosequemur.

Quot

CAPVT III.

Circa primum notandum, quòd nomen disciplinae multipliciter sumitur. Vno modo dicitur disciplina, quarumcunque rerum scientia: & differt à doctrina in hoc, quòd doctrina dicitur tantum in comparatione ad docentem: disciplina verò in comparatione ad discipulum. Alio modo disciplina est pars iustitiae, qua redditur inferiori quod debetur: Sicut obedientia est pars iustitiae, qua redditur quod debetur superiori. Sic disciplina est desiderium corrigendi inferiores: & videtur idem esse quod zelus: de quo glo. August. super illud: Zelus domus tuae comedit me. Bonus zelus est feruor animi, quo mens abiecto timore humano, pro defensione veritatis accenditur. Et comeditur, cum quaelibet praua quae viderit, corrigere satagit: & si nequit, tolerat & gemit. Aliquando dicitur disciplina id quod adhibetur ad correctionem aliquorum: & sic accipitur; Fili mi, noli negligere disciplinam. In disciplina perseuerate. Si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, Ergo adulteri & non filij estis. Quarto modo dicitur disciplina effectus disciplinae sumptae secundo & tertio modis.

sic videtur eam describere

Cyprianus.

*Tract. 10. in
Ioannem,
in medio.*

*Heb. 12.
Ibidem.
Ibidem.*



Sequit.

Sequitur notificatio disciplinae prout hic sumitur. Et subduntur aliae descriptiones duae Hugonis de sancto Victore: quarum prima videtur esse sumpta ex verbis beati Augustini: ut in capitulo sequenti patet.

CAPVT IIII.

Disciplina est morum ordinata correctio: & maiorum Patrum regularis obseruatio. *Quo notissimatur disciplina prout hic sumitur.* Item Hugo de sancto Victore. Disciplina est conuersatio bona & honesta: cui parum est non malum facere: sed studet in his quae benè agit, etiam per cuncta irreprehensibilis apparere. *In tract. de Inst. nouit. cap. 10. 10. 2.* Hae descriptio videtur sumpta esse ex verbis Augustini in regula, dicentis: In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectum: sed quod uestrae deceat sanctitatem. Item Hugo de sancto Victore. *In tract. de Inst. nouitiorum, cap. 10.* Disciplina est omnium membrorum motus ordinatus: & dispositio decens in omni habitu & actione, Bernardus in epistolis notificat disciplinam per effectum his verbis: Disciplina ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulam, iram sedat, format incessum. *Epistol. 112. paul. à fine.* Disciplina ista videtur idem esse quod modestia, de qua loquitur Philosophus: Cuius est decorem seu decentiam seruare in exteriori conuersatione, & est decor iste respectu aspectus hominum. Ad cognoscendum verò vtrum aliquid sit decorum vel decens vel non, attendendum est, an sit naturae consentaneum: & an sit dignum persona quae hoc agit, vel cum qua agitur. Attendendum est ad congruentiam

ten-

Ecccl. 20.

temporis vel loci. Decorum est in homine, quòd est consentaneum excellenti naturæ hominis. Est aliquid indecens in homine, quod non est indecens in bruto. Item aliquid est indecens in persona prelati, quod non est indecens in persona priuata. Item aliquid est indecens in religioso, quod non est indecens in persona seculari. Item aliquid est indecens, quia deest congruentia temporis, secundum illud: Ex ore fatui reprobabitur parabola: quia nō dicit eam in tempore suo. Ratione etiam loci aliquid indecens: vt in loco sacro aliquid fit indecenter, quod alibi fieret decenter.

De commendatione Disciplina.

CAPVT V.

*In tract. de
instit. noui-
tiorum, ca.
10.*

S Equitur de cōmendatione disciplina: quam Hugo de S. Victore commendat his verbis: Disciplina est comes cupiditatis, malorum desideriorum carcer, frenum lasciuie, elationis iugum, vinculum iracundiæ: quæ domat intemperantiam, leuitatem ligat: & omnes inordinatos motus mentis, atque illicitos appetitus suffocat. Sicut ignis extinguitur cū premitur, & flamma exire non permittitur: sic mentis inordinatio quasi suffocatur, cū per disciplinæ custodiam motus eius foras fluere non sinuntur. Destruitur naturalis virtus, cū diu est quòd in operationem non exit: vt visus amittitur in tenebris, similiter virtus consuetudinalis deficit, si in operationes suas non exeat: ex operibus verò suis conseruatur, roboratur, & augetur. Sic vitia animi deficiunt, cū ab operibus suis exterioribus

ribus per disciplinam refrenatur. Ad commendationem etiam disciplinæ valere potest, si ostendatur, quantum ipsa virum religiosum deceat, & quantum ei expediat. Item quantum eius defectus in viro religioso indecens existat: & quantum ipsi & proximo noceat. Circa primum notandum, quod per disciplinam corpus humanum brutalem similitudinem exuit. Psal. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Bernard. Puto iumenta dicerent, si loqui fas esset: ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Hiero. Qui post carnem ambulant, in ventrem & libidinem proni: quasi irrationabilia iumenta reputantur. Homo ex corruptione naturæ pronitatem brutalem habet ad delectabilia carnis. Sensus enim & cogitatio cordis humani in malum prona sunt ab adolescentia sua. Hæc pronitas indecens est in corpore humano. Aliter enim se debet habere corpus, quod regit spiritus rationalis, quàm illud quod regit spiritus solus brutalis. Aliter verò se debet habere corpus quod regit spiritus sanctus, aliter quod regit spiritus malus. Disciplina corpus humanum quasi ad statum innocentie reducit, dum illud subiectum & obediens spiritui reddit. Sicut corpus aliter dispositum congruit spiritui in statu gloriæ quàm in statu gratiæ: sic corpus aliter dispositum congruit ei in statu gratiæ, quàm in statu solius naturæ corruptæ. Disciplina corporis est honestas, honoris scilicet status. Habet corpus honorem magnum propter spiritum, quia est ei associatum. Ex hoc enim est corpus nobilissimum;

*Serm. 35. in
Cant. parv.
ante med.*

Gen. 3.

D ad

ad quod alia corpora ordinata sunt. Ex hac etiam societate maiorem honorem expectat, & iam maximum honoré in Christo propter spiritum cui associatum est, suscepit. Associatum est enim diuinitati: & iam glorificatū spiritui creato Christi nobilissimo. Ideo valde decens est, vt in honore se custodiat: & ne contemnendo faciat spiritum ingloriosum, quem fecit Deus tant gloriosum. Cū corpus humanum sit habitatio, in qua Deus habitat cum spiritu rationali:

1. Corin. 6. decet eam & decoram esse, & ornatam. Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est. In Psal. Domine dilexi decoram domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Item: Domum tuam decet sanctitudo Domine, in longitudine dierum. Voluit Deus suam

Iob. 26.

cælestem habitationē esse ornatam. Spiritus eius ornauit cœlos. Sic terrestrem habitationem eius decet esse ornatam. Cognoscitur spiritus malus in domibus suis, vt cognoscebatur in Saul quē exagitabat. Sic Deus in domibus eius cognoscitur.

1. Reg. 16.

Corpus disciplinatū inhabitat Spiritus sanctus, disciplinæ amator: qui spiritus disciplinæ dicitur. Circa secundum, notandum, quòd disciplina viro religioso valde est utilis. Hostem enim multum potentem ad nocendum, cōuertit in utilē seruum. Magna peruersitas est quòd corpus noceat spiritui, qui ita utilis est corpori. Separatio spiritus à corpore, manifestat quid ei præsentia conferebat. Si corpus inimicatur spiritui, multum potest ei nocere, cū fit ei multum familiare. Omni tempore & omni loco est cum eo. Nulla pestis efficacior est ad nocendum

Sap. 1.

quàm

quàm familiaris inimicus. Eius operibus quotidie indiget, nec vna die sine illis esse potest: unde si sint ei noxia, per processum temporis magnum est valde nocumentum. E contrario verò si fiant debito modo, vt spiritui sint vtilia, valde magnum est lucrum. De solo fructu oris, spiritus posset ditari, si os debito modo regeretur. De fructu oris sui vnusquisq; replebitur, id est, *Pro. 12.* repleti poterit bonis: & iuxta opera manuum suarum retribuetur ei: sic si malè regatur, poterit malis repleti. Debet spiritus habere corpus suum charum, si fideliter seruiat ei. Si est tibi fidelis seruus, fit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta. Nec soli spiritui disciplina est vtilis, sed etiam corpori. In libro de vita solitaria. Nihil magis expedit stulto, quàm seruire sapienti. Et iuxta verbum Bernardi: Nihil melius corpori quàm salutem animæ prouidere. Prouidendo enim animæ salutem, prouidet & suam: procurando eius damnationem, procurat & suam. Si fidelis fuerit socius in labore, socius erit in mercede. Circa tertium notandum, quòd defectus disciplinæ indecens est in viro religioso. Est enim nuditas, qua hominibus manifestatur eius turpitudine. Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. & videât homines turpitudinem eius. Qui nunc nuditatem hanc nõ erubescit, in futuro de ea erubescet coram toto mûdo. Reuelabo pudenda tua in facie tua: & ostendâ in gentibus nuditatē tuam, & regnis ignominia tuâ. Turpitudine spiritualis maxime est erubescenda. Sen. Omnia tolerabilia, præter turpitudinē, crede. Religiosus sine disciplina

D 2

est

est velut animal excoꝛiatum, quod à muſcis ſanguinem fugentibus moleſtatur: & cuius aſpectu oculi intuentium offenduntur. Sic religioſus indisciplinatus à ſanguifuga infernali, ſanguinem humanum ſitiente, moleſtatur: & homines in eo ſcandalizantur. Sanguifugæ duæ ſunt filix, quæ ſemper clamant, affer, affer. *Qui in nuptiis viſus eſt à Rege, non habens veſtem nuptiis cõgruentem*, inter conuiuas habuit cõfuſionem: & poſt *Matth. 22.* damnationem. Ligatis manibus, &c. Sic in ordine qui non habet veſtem congruentem, ſcilicet ordinatam cõuerſationem ſuam, peruerſa conuerſatione ſua alios ſcandalizans, in præſenti habet confuſionẽ, in futuro verò habebit damnationem. Veſtimentum mixtum ſanguine, erit in combuſtionem. Vbi deeſt diſciplina, ſpiritus qui naturaliter eſt Dominus, ſeruus eſt corporis, quod ei ad ſeruiendum datum eſt: quod valde indecens eſt. Non decet ſeruum dominari principibus. Non decet ſtultum diuitiæ: nec ſeruum dominari principibus. Hæc ſeruitus eſt ſpiritui multum ignominioſa, aſpera, ſumptuoſa, periculofa. Ignominioſa eſt, cum ſpiritus naturaliter fit creatura valde nobilis, cuius comparatione corpus eſt creatura vilis & debilis. Hieron. Nihil vilius quàm à carne vinci. Aſpera eſt, quia aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum. Non belua ſæuior eſt vlla, quàm ſerui rabies in libera colla furentis. Per tria mouetur terra, & *Proverb. 3.* quartum ſuſtinere non poteſt: per ſeruum cum regnare cõeperit. Corpus tanquam vilis ſeruus ſi dominetur, vilia imperat, vt ſcilicet intendatur vnus ſacci refectioni, & ventris, loci immundi, reple-

repletioni. Sumptuosa est, feruitur enim dominæ gulæ, cui singulis diebus parantur varia ferula, & multoties in die, de quibus nihil retinet: sed postquam de istis gustauerit, in locum turpitudinis & quasi perditionis transmittit. Ululate qui bibitis vinum in dulcedine, perit ex ore vestro. Bernar. Voluptas gutturis, quæ tantum hodie æstimatur, vix duorum habet longitudinem digitorum. Non durat delectatio illa, nisi quantum durat transitus ille per gulam. & pro illo transitu tot & tanta Dominæ gulæ parantur. Periculosa est hæc seruitus. Corpus enim, tanquã dominus maleuolus, noxia imperat: aliquando etiam mortem spiritus. Circa quartum notandum, quòd multum nocet defectus disciplinæ, sicut defectus clausuræ in vinea. Velut sepes est disciplina. Pater cælestis vineæ sepem circumdedit. Vbi hæc sepes defecit, bona auferuntur. Isa. 5. Auferam sepem eius, & erit in direptionem. Eccl. 36. Vbi nõ est sepes, diripietur possessio. Vbi sepes hæc deficit, coluber infernalis intrat & interficit. Eccl. decimo. Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Mordet primò morfu culpæ, secundò morfu pœnæ internæ, tertio morfu pœnæ æternæ. Deut. 32. Deuorabunt eos aues morfu amarissimo. Item defectus disciplinæ nocet viro religioso, defectum bonitatis indicando. Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo. Gregorius in Pastoralis. Qui statum mentis perdidit foris, in inconstantia motionis defluit: atque exteriori mobilitate indicat, quòd nulla interiori radice subsistat. Proximo etiam nocet, quem malo ex-

*Ioel. 1.**In tract. de conuers. ad cler. cap. 12.**Isai. 5.**Matth. 21.**Eccl. 19.*

emplo corrumpit. Disciplina viri religiosi Deū glorificat, proximum ædificat, angelos bonos lætificat, & malos contristat. Deum glorificat, sicut ornatus templi eius. secundum illud: Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Glossa Augustini: Si non parcis tibi propter te, parce tibi propter Deum, qui sibi te fecit domum. Proximum ædificat: cui exemplum bonum monstrat. Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Angelos bonos lætificat, quibus bonitatem illorum indicat, quorum salutem desiderant: quos habent in custodia, & propter quos sunt in hac valle miseriæ. Angelos malos contristat. Sicut ille qui carnalitati suæ dat concupiscentias suas, fit in gaudium inimicis suis: sic ille qui refrenat eam à concupiscentiis suis, contristat inimicos suos. Disciplina in viro religioso multum placet Deo. Isaac ut sensit vestimentorum filij sui fragrantiam, benedixit ei. Fragrantia vestimentorum sponsæ, etiam latidatur à sponso. Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Defectus disciplinæ in viro religioso multum Deum offendit. Multum doluit Iacob, videns tunicam filij sui Ioseph præ cæteris dilecti sanguinolentam. Defectus disciplinæ Deum blasphemat. Super illud: Siue comeditis, siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Dicit Glossa Augustini. Si modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedis, & vinolentia ingurgitas: quantascunque laudes lingua sonet, vita blasphemat. Non est honor regis cælestis, quod sponsa vadit
induta

1. Corint. 6.
Glos. ordin.
ibid.

Matth. 5.

Gen. 27.

Cant. 4.

Gen. 37.

1. Cor. 10.

induta veste vili: veste scilicet veteri, affuta ei aliqua particula panni noui. Non est talis vestis reginarum, sed vilium personarum.

SECUNDA PARS HVIVS LIBRI ostendit, quòd sex sunt quæ ad obtinendam disciplinam multum valere possunt. Primum est doctrina. Secundum est exemplum. Tertium est frequens inspectio operum. Quartum pudor. Quintum obedientia. Sextum perseuerantia.

CAPVT I.

Quòd doctrina valet ad obtinendam disciplinam.

DOctrina ad obtinendam disciplinam, multum est necessaria. Seneca. Citò nequitia subrepat: difficile virtus inuenta est: ducem rectoremque desiderat. Idem: Desperandum est, posse casu tantum bonum influere nobis. Etiam in artibus minoribus ad necessitatem corporalem pertinentibus, non possunt homines sine doctore esse quod cupiunt, iuxta verba Hieronymi. Quanto magis doctrina est necessaria ad virtutem disciplinæ. In libro de vita solitaria dicitur de nouitio: Si callet ingenio, si viget arte, si præminet intellectu: instrumenta habet tam vitiorum quàm virtutum. Non ergo refugiat doceri vti eo in bono, quo etiam in malo vti potest: quod proprium virtutis opus est. In eod. Doceri vult virtus cum humilitate, quæri cum labore, haberi cum amore. In eod. Primum docendus, secundum Apostolicam institutionem, vt exhibeat corpus suum hostiam viuentem, sanctam,

*Epist. 51.
circa med.*

Bernard.

*Col. 3.**Gal. 5.**Bernard.*

Deo placentem, rationabile obsequium suum, Hostia viuens debet esse corpus, vt mortificentur vitia, & seruetur natura. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: scilicet membra veteris hominis, quæ sunt vitia. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Mortuum debet esse corpus, scilicet, sibi & mundo: viuens Deo. Viuens est hostia, si adsit charitas quæ est vita animæ, & vita operum, quæ ex ipsa procedunt. Mortua est hostia in illis, qui sine charitate sunt: & ieiunando vel aliter in Dei seruitio corpus suum affligunt. Hostia sancta est, si macula culpæ desit: Placens Deo, si recta intentio adsit, vt purè propter Deū fiat. Leuit. 2. Quicquid sacrificij obtuleris, sale condies. Mar. 9. Omnis victima sale salietur. In libro de Vita solitaria: Si vigiliæ & ieiunia, & alia huiusmodi ex indiscretionis vitio sic agantur, vt vel deficiente spiritu, vel languente corpore, spiritualia impediatur: qui sic est, tulit corpori suo boni operis effectum, proximo exemplum, honorem Deo: sacrilegus est, & horum omnium in Deum reus. Necessarium est ei qui in religione nouus est, tanquam ille qui peregrinationem magnam facturus est, habere equum, qui labori viæ suæ sufficiat: scilicet corpus suum disciplinatum: quòd spiritui sit adiumentum, non viæ impedimentum. Non est cõmendabile in equo, quòd annonam suam non sumit: nec in nouitio, qui de his quæ sibi apponuntur, ad sustentationem corporis sufficienter non accipit. In eodem libro: Durius est tractandum corpus ne rebellet, ne insolescat: sic tamen, vt seruire sufficiat,

ciat, quia ad seruiendum spiritui datum est. Nec sic habendum est tanquam propter illud viuamus: sed tanquam sine quo viuere non possumus. Fœdus enim quod habemus cum corpore, non quodcumque volumus, abrumpere possumus: sed legitimam eius resolutionem patienter nos expectare oportet: & interim quæ legiti- mi fœderis sunt, obseruare. In eodem dicitur de nouitio: Docendus est sic habere corpus suum, sicut egrum commendatum: cui etiam multum volenti inutilia sunt neganda, vtilia verò etiam nolenti ingerenda: sic agere de eo, sicut non de suo, sed eius à quo pretio magno empti sumus. In eodem: Docendus est cauere, quod peccatori populo Dominus per Prophetam improperat: Proiecisti me post corpus tuum. Ezechielis 23. Multumq; cauendum, ne pro necessariis vitæ huius vel commodis, à proposito rectitudine, vel dignitate naturæ, in amorem corporis sui finat in aliquo aliquando degenerare spiritum suum.

*Quòd exemplum multum valet ad obtinendam
disciplinam.*

CAPVT II.

EXemplum multum valet ad obtinendam disciplinam. Maioris efficaciam est exemplum quàm verbum. Seneca. Longum iter per verba: *Epist. 6. post medium.* breue & efficax per exempla. Efficacior est vox operis, quàm vox sermonis. Verbum ostendit quid fieri debeat: exemplum ostendit quomodo fieri valeat: & ad operandum animat, & operantem

D 5

rantem

rantem confortat. Hugo de sancto Victore: in bonis similitudinis Dei forma expressa est: & idcirco cum eis per imitationem imprimimur, ad eius similitudinis imaginem nos quoque figuramur. Sed sciendum est, quòd sicut nisi cera priùs emollita fuerit, formam non recipit; sic & homo quidem per manum actionis alienæ ad formam actionis non flectitur, nisi priùs per humilitatem ab omni elationis rigore molliatur. Neque enim per exemplum alterius aliquando poterit in melius transformari, qui adhuc per elationis vitium & bona aliena oppugnat, & sua mala defendit. Necesse est ergo, vt si bonos veraciter imitari velimus, per veram humilitatem ad obedientiam corda nostra præparemus: quatenus mens nostra tantò citius ad nouitatem redeat, quanto promptius in omnem quam viderit virtutis speciem, per voluntariam obedientiam se inclinat: & tanto altius ei vestigium bonitatis incipiat inhærerere, quanto arctius studet bona aliorum imitari potius quàm carpere. Cereæ calefactæ imago sigilli facillè imprimitur. Accendendi sunt qui in religione sunt, ad Dei amorem, & ad desiderium deponendi vitæ vetustatem, & assumendi vitæ nouitatem: vt exempla bona ad eorum firmationem proficiant. Ad accendendum verò ipsos multum valet verbū Dei. In Psal. Ignitum eloquium tuum vehementer. Item eloquium Domini inflammavit eum. Omnis sermo Domini clypeus ignitus est. Clypeus quia defendit à malo. Ignitus quia accendit ad bonum. Nunquid non verba mea quasi ignis? Et sicut exemplū bonum ad obtinendam
disci-

Psal. 118.

Pra. 26.

disciplinam multum valet, sic exemplum malum multum nocet, maximè in illis in quibus viuit amor seculi, emolliens eos vt deformitatem seculi facillè recipiant. Ideo in aliquibus claustris disciplina non obtinetur: quia quod doctrina suadet, exempla dissuadent. Verbo homines diriguntur ad salutem: manu impelluntur vel trahuntur ad damnationem. Vnus ædificans, & vnus destruens: quid prodest illis nisi labor? Eccl. 34.

Quod ad obtinendam disciplinam multum valet frequens inspectio operum, & quotidiana examinatio.

CAPVT VIII.

Multum valet etiam ad obtinendam disciplinam, si is qui in religione est, quotidiana discussione cogitationes, locutiones, simul & facta sua apud semetipsum examinet, sollicitè attendens non solum quid agat, sed etiam qua intentione illud agat; frequenter cogitans, an quod faciendum est faciat: an bono operi malum aliquod admisceat: an quod agit, quanta oporteat diligentia adimpleat: an alterius bonum vt suum diligat: & si suum malum vt alterius malum reprehendat. Per singulos dies ad iudiciū vitam suam vocare debet. Manè considerare quid egerit per noctem: in vespera quid egerit per diē. Si quid ex his quæ agenda erant diligenter, neglexerit: aut si quid ex his quæ agenda nō erant, presumpserit: & si in aliquo opere insidiis inimici supplantatus fuerit, excogitare qualiter fraudē illius futurā cauere possit: iuxta cohortationem Apostoli, semetipsum debet sollicitè custodire: & vt

Exod. 24.

& vt hoc melius possit facere , ab aliis oculos suos multum debet auertere , cum propriis vitiis bellum habere , rixam verò cum alienis declinare. Sapiens: Proprium est stultitię, aliena vitia cernere, sua obliuisci. Dixit Dominus Moyfi: Mitte manum tuam in sinum tuum. Quàm cum misisset in sinum , protulit leprosam. Retrahe, ait , manum tuam in sinum tuum. Retraxit , & protulit , & erat similis carni reliquæ. Ille quem de mari mundi Dominus ad religionem assumpsit , manum in sinum mittit , quando in corde operationes suas discutit: in quibus in principio lepram peccati reprehendit: sed inspectionem istam frequentando, tandem ad puritatem operum peruenit.

Quòd ad obtinendam disciplinam valet pudor.

CAPVT IX.

AD obtinendam disciplinã etiam multum valet pudor. Quod patet per hoc , quòd Philosophus describens modestiam, quam dicimus esse idem quod disciplinam , ait: Modestia est virtus , qua pudor honestatis puram & stabilem comparat auctoritatẽ. Pudor est timor turpitudinis, vel fuga rei indecentis. Declinatio indecentiæ in exterioribus , efficit ordinationem exteriorem, quæ modestia est: & sic comparatur auctoritas seu grauitas pura , non habens admixtionem sui contrarij , scilicet vtilitatis & instabilitatis. Pudor enim qui eam efficit, ipsam seruat. Dicitur autem pudor honestatis ad differentiam fatui pudoris , quo aliqui fatuè erubescunt , vnde gloriari deberent. Et notandum quòd

quodd secundum Damascenum, Erubescencia est optima passio, & maximè in eo qui nouus & quasi iuuenis est in religione. Comicus de quodam Iuene: Erubuit: salua res est. Seneca: Verecundia in iuene bonum signum est. Bernard. super Cantic. Nescio si quidquam gratius verecundia in moribus hominum deprehendi possit. Verecundia omnium est ornatus etatum: sed in tenera etate amplius pulchriusque enitescit. Quid amabilius verecundo adolescente? quam pulchra hæc & splendida gemma in vultu adolescentis: quam vera & minimè dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis index? Quid ita turpiloquij & omnis deinceps turpitudinis fugitium? Idem: Verecundia specialiter gratia est cōscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, insigne totius honesti.

*Terent.
Epist. 11.
parum à
princip.
Serm. 86. in
Cant. paulo
à princ.*

*Serm. 86. in
Cant. inter
princip. &
medium.*

Quodd ad obtinendam disciplinam valet obedientia.

CAPVT X.

Obedientia multum valet ad obtinendam disciplinam. Qui ad religionem venit, debet habere voluntatem bonam, quasi materiam totius religionis: quam patri spirituali locum Dei tenenti, formandam debet offerre. In libro de vita solitaria: Quicumque voluntatem bonam habuerit, secum habet quidquid ad bene viuendum opus est: quamuis bonæ voluntati non semper credere expedit: sed frenanda & regenda est, & maximè in incipiente. Regat sanctæ obedientiæ regula voluntatem bonam: illa verò corpus. Simplicitatatis initium aliquod habens

Bernard.

Eodē loco.

bens in seipsa creatura Dei, hoc est, voluntatem simplicem & bonam, quasi futuri boni hominis informem materiam: in primordio conuersionis suæ auctori suo offert eam formādam. Item in eodem dicitur de nouo homine, quod tanquam à figulo figmentum, lege quadam mandatorum, & manibus alienis faciendus & formandus est, in omni patientia, in rota volubilis obedientiæ. Qualis autem debeat esse eius obedientia, ostenditur his verbis ibidem: Perfecta obedientia, & maximè in incipiēte, est indiscreta: hoc est, non discernere quid vel quare præcipiatur: sed ad hoc tantum niti, vt fideliter & humiliter fiat, quod à maiore præcipitur. Lignum enim scientiæ boni & mali in paradiso, est censura discretionis, in conuersione religionis, penes patrem spiritualem, qui diiudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Ipsius est discernere, aliorum obedire. Adam gustauit ad malū suum de ligno vetito: edoctus ab eo qui suggerēs, ait: Quare præcipit vobis Deus, vt de ligno non comederetis? Ecce discretio cur præceptum fit. Et addidit: Scit enim quia qua die comedetis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij. Ecce quid præceptum fit, quod Deos fieri non finat. Discreuit, comedit, inobediens factus est: & de paradiso eiectus est. Sic & nouitium prudētem in congregatione durare, impossibile est. Stultus fiat, vt fit sapiens. Et hæc fit omnis eius discretio, vt in hoc nulla fit ei discretio. Hæc omnis sapientia, vt in hac parte nulla fit ei sapientia. Et notandum est, quod cum corpus natura debeat obedire spiritui, rectius ac tutius sæpe obedit in altero,

Gen. 3.

tero, scilicet aliquo viro spirituali præcipiente, quàm in semetipso. Timendum est corpori regimen illius spiritus, qui tam frequenter illud malè rexit. Suspectum potest esse iudicium illius spiritus, qui amore nimis coniunctus est corpori. Bern. in lib. de considerat. Amor vel odium, veritatis nescit iudicium. Obedientia talis à libidine vitiorum mentem purgat. 1. Pet. 1. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis. Ipsa etiam virtutes inserit & conseruat. Greg. Sola obedientia virtus est, quæ cæteras virtutes inserit: insertasq; custodit. Obedientia non tam est virtus, quàm mater virtutum: vt dicit idem Gregorius: Et hæc de obedientia (quæ ad obtinendam disciplinam est maximè necessaria) sufficiant dicta.

In tract. de gradib. humilitatis, cap. Inquirimus.

Lib. 35. moral. cap. 12.

Quòd perseverantia valet ad obtinendam disciplinã.

CAPVT XI.

Perseuerantia in tali obedientia multum valet ad obtinendam perfectionem disciplinæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Bern. in lib. de vita solitaria: Audiatur hoc, hæctenus amicũ corporis sui mâcipium, animalis homo, qui iam incipit corpus subdere spiritui, & adaptare semetipsum ad ea quæ Dei sunt percipienda, & ad exuendam foedæ seruitutis necessitatem, & contra carnis suæ dominantem consuetudinem se accingat: & necessitatem sibi contra necessitatem

Rom. 6.

facias

faciat, & consuetudinem, & affectum formet contra affectum: donec plenam mereatur accipere delectationem contra delectationem: ut delectationibus seculi ac carnis, secundum consilium Apostoli, saltem tantum delectat eum carere, quantum primum delectabat eas habere. Tantum delectet eum de membris corporis sui seruire iustitiæ in sanctificationem, quantum prius delectabat eum seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: Hæc est enim perfectio hominis animalis in suo statu, vel nouitij incipientis. Obedientia perseverans nouitium ad perfectionem sanctitatis adducit. In eodem libro: Remedia crebro mutata nocent: naturam turbant, egrum disterminant. Nam qui aliquando tendit, si vnam & rectam viam tenuerit, cito perueniet quo tendit: & itineris & laboris facit finem. Si verò multas aggreditur vias, errat: nec laboris aliquando facit finem: qui error non habet finem. Non ergo se mutet, nec aliud pro alio accipiat, sed vsque ad terminum sanitatis perfectæ, medicinalis obedientiæ remedio vtatur. Et notandum, quòd perseverantia quæ est continuitas boni, seu permanentia in bono diuturna vel finalis, est valde magnæ efficacæ, Robur enim addit. Seneca: Perseuerandum est & assiduo labore robur addendum. In libro de Vita solitaria: Rusticus duros habet nervos, fortes laceratos. Exercitatio hoc facit. Sine ea enim, corpore mollescet. Voluntas facit vsum, vsum exercitium, exercitium vires in omni labore subministrat. Item perseueartia, difficilia & aspera, facilia & suauia facit. Bernard. in epistolis: Subitò pro-

Bernard.

procedenti de vmbra ad solem, de otio ad laborem, graue cernitur omne quod incipit: scilicet postquam ab his diffuescere, & ad illa se paulisper assuescere cœperit. Vfus tollit difficultatem, inuenitq; facile esse, quod impossibile ante putauit. Perseuerantia imperfectum nihil relinquit. Seneca: Non despero indurato. Nihil est quod non impugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Videmus debiles mulieres senilis ætatis, perseuerando peregrinationes longas perficere. Item videmus naturam continuè operando, ex modica nuce, additione imperceptibili magnam arborem efficere: & aquam quæ adeo mollis est, lapidem valde durum perseueranti percussione excauare. Perseuerantia in presenti hostem vincit, & consolationem accipit, ad quam qui non perseuerat, non peruenit. Vincenti dabo manna absconditum. Homo remissus, in seruitute vitiorū remanet, secundum illud: Manus remissa tributis seruiet. Perseuerantia in futuro coronā apprehendit, secundum illud: Vnus accipit brauium, scilicet perseueras. Bernardus: Scias diabolus soli semper perseuerantia infidiari, quam solam nouit coronari. Dicitur est serpenti: Tu infidiaberis calcaneo eius. Item Bernard. Studete perseuerantiæ, quæ sola coronatur. Chrysofomus: Tolle perseuerantiam, obsequiū mercedem non habet. Multum est utilis perseuerantia in bono, seu continuatio boni. Facit enim consuetudinem, quæ est altera natura, & multum necessaria est. Multum noxia & valde timenda est perseuerantia in malo, quæ

*Epist. 1. cir-
ca finem st-
lius.*

*Epist. 51. a
medio hã-
bet aliquid*

Apocal. 22

Pro. 12.

1. Cor. 9.

Gen. 3.

*Epist. 129
ad Iannem*

E mas

*Lib. 8. ca. 5.
in princip.*

Pro. 22.

*Gloss. ordin.
ad illud:
Vocem
agna clam.
Epist. 51.
circa. med.*

malam consuetudinem facit: quæ est quasi cathena ferrea, qua aliquis ligatur, & ligatus à diabolo tenetur. Augustinus in lib. Confessionum: Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus: & inde mihi cathenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Prouerb. 5. Iniquitates suæ capiunt impium: & funibus peccatorum suorum quisque constringitur. In hoc seruit diabolo, qui peccat, quòd opere suo malo se ligat: & ligatum diabolo tradit se cruciandum. Difficile consuetudo mala relinquitur, cum sit quasi natura. Naturam pellas furca, tamen vsque recurret. Prouerbiu[m] est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Hier. 13. Si mutare potest Æthiops pellem suam, & Pardus varietates suas: & vos poteritis facere bonum, cum didiceritis malum. In suscitatione Lazari (quo figuratur qui assuetus est peccatis) infremuit Dominus, lachrymatus est, exclamauit: quia difficilè furgit, quem moles prauæ consuetudinis premit: vt dicit gloss. super Ioan. 11. Consuetudo mala est velut languor inueteratus, qui difficilè curatur. Eccles. 10. Languor prolixior grauat medicum. Eiusdem 18. Ante languorem adhibe medicinam. Seneca: Minus negotij haberet medicus, si ad recens vitium remedium adhiberetur. Non potuerunt discipuli expellere malignum spiritum à quodam, in quo fuerat ab infantia. Matth. 9. Basilius: Sicut non potest aliquis

quis dediscere linguam maternam, sic vix longam peccati cōsuetudinem. Consuetudo mala est sicut gutta quæ subintravit ossa, quæ vix expellitur. Ossa eius replebuntur vitiis adolescentiæ. Difficilè reuocantur ad salutem, qui vi consuetudinis trahuntur ad damnationem. Eos qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses. Difficile est retinere equum, qui inchoauit cursum suum: sic difficile est corrigere eum qui consuetus est malis. Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium.

Iob. 20.

Pro. 24.

Hier. 8.

INCIPIT TERTIA PARS.

in qua agitur de quatuor partibus disciplina. Primum

caput de disciplina in habitu, in quo ostenditur,

quid Religiosus debeat cauere, &

quid querere.

CAPVT I.

Sequitur de partibus Disciplinae. Hugo de S. Victore. Quatuor sunt in quibus seruanda est disciplina, scilicet in habitu, in gestu, in locutione, & comestione. Cauendum est seruo Dei, qui in religione est, ne humilitatem vestium, quam religio requirit, erubescat: & ne vestibus malè placere quærat: vel ne ex eis apud homines gloriã affectet: & ne secundum prudentiã carnis suæ suauia procuret. Ad necessitatem vestes habeat:

E 2

quam

*In Apolog.
ad Guliel.
Abbatem,
cap. penult.
post. med.*

1. Timot. 6.

Hesber. 14.

*In 3. regula
cap. 18.*

Eccl. 11.

*In meditat.
cap. 2. a.
med.*

quam determinat Bernardus, loquens de illo verbo Actuum 4. Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat, hoc est, inquit, quantum ad indumentum, vt nuditatem tegetet, & frigus repelleret. Augustinus: Tibi pura vestis circumdetur: non ad pulchritudinem, sed ad necessarium tegumentum: ne de exquisitis vestibus, alteram turpitudinem assumes. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. In religione humilitas vestium est gloriosa; superbia verò ignominiosa. Augustinus de se dixisse legitur: Fateor, de pretiosa veste erubesco. Non decet hanc professionem, non decet hanc admonitionem, nec decet hæc membra, nõ decet hos canos. Tu scis quòd abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ. Non debet querere seruus Dei corporalem ornatũ, quo placeat mundo: sed spiritualement, quo placeat Deo. Augustinus in regula: Nõ affectetis vestibus placere, sed moribus. Confusi sunt, qui per talia hominibus placent, quoniam Deus spreuit eos. Non debet etiam ex vestibus gloriam querere. In vestitu ne glorieris vnquam. Bernardus: Qui de veste gloriatur, similis est furi glorianti de cauterio: quia propter peccatum Adæ introductus est vsus vestium. Non est gloriosus homini (cũ sit creatura valde nobilis) ornatus, quem à vilibus creaturis (vtputa irrationalibus inanimatisq;) mendicat. Omnis gloria filiæ regis ab intus esse debet. Ornatus decet animam tanquã dominam: & non carnem, ancillam. Bernard. Magna abusio, & nimis magna, dominam ancillari, & ancillam

cillam dominari. Superbus vult ornari exterius, humilis interius. Ioan. 6. Eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Glos. Superbi est foras eiici, qui nihil habet in bono interiori: nec hic, nec in futuro. Bernard. Fusi sumus exterius, & de regno Dei, quod intra nos est, relictis veris & perennibus bonis, foris quærimus vanam consolationem de vanitatibus & insaniis falsis: & iam religionis antiquæ non solum virtutem amissimus, sed nec speciem retinemus. Ecce ipse habitus noster, quod & dolens dico, qui & humilitatis solebat esse insigne, à Monachis nostri temporis in signum portatur superbiæ. Vix in nostris prouinciis inuenimus quo vestiri dignemur. Miles & monachus ex eodem panno pariuntur sibi cucullam & clamydem. Cōscientiæ & non carni, procuranda est suauitas. Bernard. Christus qui non fallitur, elegit quod carni molestius: id ergo melius, & magis eligendum est. Idem. Memento quod asperior cardo facit pannum leuiorem, & conuersatio conscientiam.

*Glos. ordin.
ad illud: ad
me Veniet.
In Apolog.
ad Guliel.
Abbat. cap.
penult. post
medium.*

Quod 12. possunt esse reprehensibilia in habitu.

CAPVT II.

ET notandum quod in habitu multa possunt esse reprehensibilia: de quibus 12. tangere sufficiat. Primum est nimia pretiositas. Secundum est nimia subtilitas. Tertium mollities. Quartum nimius nitor. Quintum compositio irreligiosa secundum sæculi vanitatem. Sextum indecens coaptatio, quæ atteditur in modo portandi. Septimum exquisita extraneitas. Octauum immuditia. Nonum nimia breuitas. Decimum

E 3

nimia

nimia magnitudo. Undecimum superflua vestium multitudo. Duodecimum cum periculo se acquisitus est habitus, scilicet vel cum peccato eius cuius est, vel cum peccato alterius. Aliqua horum tangit Hugo de sancto Victore his verbis: Amatores religionis plus debent hic amare vestimenta vilia, quam pretiosa: plus grossa quam subtilia: plus aspera quam mollia: plus fusca quam nitida: plus neglecte quam curate composita vel adaptata. In libro de Vita solitaria: Intentum interioribus suis animum magis decent omnia exteriora inculta & neglecta. Diligentia circa vanitatem exterioris ornatus, signum est negligentiae circa interiorum ornatum. Bernardus: Non tantum curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Ornatus corporalis est impedimentum ornatus spiritualis. Cyprianus: Serico & purpura induta, Christum induere non possunt: auro & margaritis, & monilibus adornate, ornamentum cordis & pectoris perdidit. De pretiositate vestium dicit Gloss. super illud Luc. 16. qui induebatur purpura & bysso. si cultus pretiosarum vestium culpa non esset, sermo Dei non tam vigilanter exprimeret, quod dives purpura & Byssus indutus apud inferos torqueretur. Gregorius: Nemo pretiosa vestimenta, nisi ad inanem gloriam quaerit: videlicet, ut honorabilior ceteris videatur. Nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi a nemine potest videri. Nolebat Apostolus mulieres in veste pretiosa orare. Quid ergo faciendum viris? Mercator sapiens torfellum etiam pretiosum vilibus operit:

ex

*Bernard.**In Apolog.
ad Guiliel.
Abbat. cap.
Dicitur. a
medio.**Gloss. ordin.
& Greg.**Hom. 40. in
Euang. an-
te medium.**1. Tim. 2.*

ex quo satis patet, quòd insipienter agit, qui corpus vile pretiosis induit. Idem patet ex eo, quòd Rex gloriæ in mundum veniens, in sacco carnis nostræ mortalis hominibus apparere voluit: de quo ipse in Psalmo ait patri suo: Conscidisti sacco meum. Cùm Deus spiritum pretiosum vili carne induerit, verisimile est, quòd carnem vilem pretiosis indui noluerit. Vestium subtilitatem in fratribus suis reprehendit Bernardus his verbis: Quæritur ad induendum, non quod vilius, sed quod subtilius inueniatur: non quod frigus expellat, sed quod superbire compellat. Non denique iuxta regulam, quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imò vanius ostentari potest. Idem de mollitie vestium: Mollia, inquit, indumenta, animi mollitiem indicant. Non decent eos qui ad desertum claustrum confugiunt, indumenta mollia. Qui mollibus induuntur in domibus Regum sunt. Et super illud Matth. 3. Ipse Ioannes habebat vestimenta de pilis Camelorum. Dicit Glossa: Seruus Dei non debet habere vestimentum ad decorem vel ad delectationem, sed tantum ad tegendum nuditatem. Non decet hominem virilem habere vestem muliebrem. Hieron. Non tenera vestis, sed munditia mentis ornatum facit clericum. Non induetur vir veste fœminea. De nitore qui attendi videtur in colore, & de immunditia, dicit Seneca: Non splendeat toga, nec sordeat. Hieronymus: Ornatus & sordes pari modo fugienda sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Idem: Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ

*In Apolog.
ad Guliel.
Abbat. in
cap. dicitur
à med.*

Matth. 11.

*Gloss. ordin.
ibid.*

Deut. 22.

*Epist. 5. pa-
rum à prin-
cipio.*

*Soph. 1.**Luc. 20.**2. Reg. 10.**Epist. 42.**Iac. 5.**Iere. 2.*

delitiæ laudem pariunt. Et de Augustino legitur: Vestimenta eius & calceamenta, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum. Color naturalis videtur congruere viris religiosis. Cùm iuxta verbum August. homo implens mandatum euangelicum de duabus tunicis, det vnâ non habenti; sufficere debet homini mendicanti color, qui sufficit eleemosynam danti. De veste extranea habetur. Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina. Longitudo vestis nimia insinuatur reprehensibilis à Domino dicente: Attendite à Scribis qui volunt ambulare in stolis. Stola est vestis longa: frequenter quem puluis vanæ gloriæ delectat, cauda vestis suæ, quam post se trahit, aliis puluerem terræ concitat. Vestis nimis breuis virum religiosum non decet. Decurtatione vestium dehonestati sunt serui David à Domino filiorum Amon. De multitudine vestium superflua dicit Bernard. Clamant nudi, clamant famelici, & conqueruntur nobis, fame & frigore miserabiliter laborantes. Quid conferunt tot mutatoria vestium, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Agite nunc diuites, plorate vlulantes miseris vestris, quæ aduenient vobis. Vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Valde est etiam cauendum homini qui est in religione, ne vestis sanguinolenta sit sanguine peccati. In alis tuis inuētus est sanguis animarum. Alæ istæ intelligi possunt extremitates superbiorum palliorum. His alis volatur in infernum, non in cælum. In alis istis inuenitur duplex sanguis. Sanguis pauperum, scilicet spolia eorum, ex quibus est vestis illa, quæ iudicio scri-

scripturæ sunt sanguis & vita pauperum. Ecclesiast. 34. Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat eum homo sanguinis est. Alius sanguis personæ, quæ illud defert, sciens illud esse de re iniuste acquisita. Mors enim sua, vt frequenter iacet ibi.

De disciplina in gestu.

CAPVT III.

Est autem gestus, motus vel dispositio membrorum corporis: & indicat corporis gestus dispositionem animi & motus, sicut effectus causam. Bernard. Ex cordis thesauro procedit quidquid foris apparet vitiosum. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori. Debet seruitus Dei, & interius coram Deo, & exterius coram proximo indecentiam cauere. Seneca: Si cōtinenses, etiam tui corporis motus obseruane indecori sint. Et notandum quod inter gestus corporis aliqui sunt reprehensibiles: & aliqui cōmendabiles. De reprehensibilibus verò octo modos tangere sufficiat. Primus pertinet ad superbiam, de quo habetur: Pro eo quod eleuatae sunt filiae Syon, & ambulauerunt collo extenso, &c. Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius: Oculos sublimes. Cucurrit aduersus Deum erecto collo. Secundus pertinet ad iracundiam. Cùm animus ira commotus est, cor accensum stimulis iræ palpitat, corpus tremit, lingua præpeditur, facies ignescit. Vnde verum est illud Poetæ. Deprehendas animi tormenta latentis in ægro corpore. Tertius pertinet ad lasciuiam seu petulantiam. De quo

*In Apolog.
ad Guliel
Abbat. in
cap. dicitur.
à med.*

Isa. 3.

*Proverb. 6.
Iob. 15.*

*Mat. 23.**Mat. 23.**Ecol. 22.**Eccl. 10.**Eccl. 10.**Eccl. 10.**Eccl. 10.*

habetur: Plaudabant & ambulabant pedibus suis, composito gradu incedebant, &c. Quartus pertinet ad pigritiam, & est cum nimia tarditate. Nimia tarditas ministri multum displicet Domino, secundum illud: Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: sic piger his qui miserunt eum. Molestat enim eos sicut acetum dentes, & fumus oculos. De stercore bouum lapidatus est piger, & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus suas. E conuerso velocitas ei multum placet, secundum illud: Vidisti virum velocem in opere suo: coram regibus stabit. Quintus pertinet ad inconstantiam, de quo habetur: Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, terit pede, digito loquitur. Sextus pertinet ad molli-
 tiem, quæ est nimia teneritudo, siue impatientia rei duræ, de qua habetur Deuteronomij 28. Tenera mulier & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedibus vestigium figere, propter molli-
 tiem & teneritudinẽ nimiam, inuidebit viro suo. Et Isaias: Non vocaberis mollis & tenera. Qui mollis est & dissolutus, frater est sua opera dissipantis. Mollis cedit duritiei, cum in opere occurrerit, & illud non perficit. Dissolutus, qui nullo amore ligatus est ad opus quod facit. Septimus pertinet ad negligentiam. In eo est negligentia, in quo deficit diligentia: qui non curat qualiter opus perficiat, vtrum benè vel malè: sed solum vt de illo se expediat. Multum decet, vt qui regi gloriæ ministrat, in ministerio suo diligentiam habeat. Hæc est quæ Deum honorificat. Mulier diligens corona est viro suo. Anima enim diligens, spõsum suum

suum Christum honorat. Ad diligentiam monemur. Diligenter exerce agrum tuum. Octavus pertinet ad dissolutionem, quæ est nimia timiditas: de qua; Væ dissolutis corde, qui nõ credunt Deo, & ideo non protegentur ab eo.

Pro. 24.

Eccl. 2.

De gestu commendabili.

S Equitur de gestu commendabili. quem Hugo de S. Victore notificat his verbis : Primum diligenter obseruandũ est, vt singula membra suum teneant officium : nec vsurpent alienum. Deinde vt vnumquodq; suum opus tam decenter ac modestè impleat, vt per indisciplinam oculos inspicientium non offendat. Item discretio actionum in membris obseruanda est, vt scilicet id agat vnumquodq; membrorũ, ad quod factum est, vt nec loquatur manus, nec os audiat, nec oculus linguæ officium assumat. Sunt quidam, qui nesciunt auscultare, nisi buccis patentibus. Alij loquentes digitum extendunt, supercilia erigunt, aut oculos rotantes, aut profunda pöderatione defigentes, cuiusdã intrinsecus magnificentiæ conatus ostendunt. Alij caput iactant, comam excutiunt, vestimenta adaptando componunt, & latera cubitando pedesq; extendendo ridiculam fatis ostentationis formã fingunt. Alij quasi ambæ aures ad audiendum factæ non sint, alteram tantum collo detorto voci venienti opponunt. Alij nauigant brachiis incedentes : & duplici quodam monstro, vno & eodem tempore pedibus deorsum in terra ambulant : & lacertis sursum in aère volant. Quid est, quæso, monstrum hoc, quod simul in se fingit

*In tract. de
nouit. in-
struend. ca.
12. à med.*

fingit hominis incessum, & nauis remigium, & auis volatum. Prima igitur custodia disciplina in gestu est, vt vnumquodque membrorum in eo officio, ad quod creatum est, se contineat: vt id quod facit, eo modo faciat, quo faciendū est. nec plus, nec minus, nec aliter. Et vt in paucis exemplificemus: Ridere debet sine apertione dentium, videre sine defixione oculorum, loqui sine extensione manuum, & extensione digitorum, incedere sine vétilatione brachiorum, & sine gesticatione scapularum, sedere sine alterutra superiectione pedum: sine extensione vel agitatione tibiaram, & sine accubatione laterum.

De disciplina in risu.

CAPVT IIII.

ET notádum quod virum religiosum multum decet, vt disciplinam seruet in risu. *Lib. 4. virt.* Quis risus sit reprehensibilis, ostendit Seneca his verbis: Miscbis interdum seriis iocos, sed temperatos: & sine detrimento dignitatis & verrecundiæ. Nam reprehensibilis risus est, si immodicus, si pueriliter effusus, si muliebriter fractus. Odibilem hominem facit risus aut superbus & elatus, aut malignus & furtiuus, aut alienis malis euocatus. Idem: Risus fit sine cachinno. Luctus in hac valle lachrymarum debet esse frequens & multus: risus verò rarus & modicus. Ad hoc monemur exéplo Christi, de cuius luctu habetur in multis locis sacrae Scripturae: scilicet Lucae 19. Iohan. 11. Hebreor. 5. De risu verò eius in hac vita presentis nusquam legimus.

Risus

Risus habet maledictionem eius. Væ vobis qui *Luc. 6.*
 nunc ridetis. Luctus verò habet eius benedi-
 ctionem. Beati qui lugent. Inter risum discipli- *Matth. 5.*
 natum & indisciplinatum distinguitur. Fatuus
 in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens *Eccl. 21.*
 vix tacitè ridebit. Risus indisciplinatus est velut
 ebullitio stultitiæ. Os fatuorum ebullit stulti- *Pro. 15.*
 tiam. Est etiam velut sonitus spinarum in igne.
 Sicut sonitus spinarum crepitantium sub olla, *Eccl. 7.*
 sic risus stulti. Risus indisciplinatus aliquando
 est inuidiæ, aliquando perfidiæ, aliquando insa-
 niæ. De primo dicit Poeta: Risus abest, nisi quem
 visi fecere dolores. De secundo dicitur: Quasi *Pro. 10.*
 per risum stultus operatur scelus. De tertio Au-
 gustinus: Malunt sapientes se gerere fanos lu-
 gentes, quàm freneticos ridentes.

*De disciplina in locutione. Et primò quòd custo-
 dia oris est custodia animi.*

CAPVT V.

NOtandū quòd maximè est necessaria oris
 disciplina: eò quòd ex oris custodia fit cu-
 stodia cordis. In custodia oris pro magna parte
 est custodia cordis. Qui custodit os suum, custo- *Pro. 13.*
 dit animam suam. Os est quasi porta hominis.
 Vnde custodia oris tam necessaria est in homi-
 ne, sicut in castro custodia portæ. Vnde quando
 aliquis habet castrum, simplicè habens murum,
 ad portam habet turrim: sic custodia oris est
 custodia animæ. Valet etiam custodia oculorū
 ad custodiam cordis: quia frequenter per ocu-
 los mors intrat in animam. Sic intrauit ad ani-
 mam matris nostræ Eux. Videns enim quòd
 bonum

*Gen. 3.**2. Reg. 11.**Eccles. 28.**Pro. 25.**Matth. 15.*

bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, tulit de fructu eius & comedit. Simile accidit in Dauid, cui aspectus mulieris, occasio fuit adulterij & homicidij. Custodia etiam aurium valet ad custodiam animæ. Frequenter enim per aures mors intrat ad animam. Hier. 9. Intrauit mors per fenestras nostras. Aurium portæ sunt multum timendæ, & diligenter custodiendæ: cum sint semper aperta. Vnde sepiendæ sunt secundum illud: Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire. Aures sepiuntur, cum ostentatione tristis faciei detractor repellitur. Ventus aquilo dissipat pluias: & facies tristis linguam detrahentem. Hieronymus: Nemo inuito auditorio libenter aliquid narrat. Præcipuè ad custodiam cordis valet custodia oris: quia non solum nocent animæ quæ per os intrant, sed etiam quæ ex ore exeunt, secundum illud: Quæ de ore procedunt, & de corde exeunt, ea coinquinant hominem. Habet os duo officia, scilicet officium sumendi cibum & potum toti corpori: & officium loquendi. Vtrobique verò potest accidere periculum: Quantum ad primum, maius periculum est, si custodia oris negligatur, quàm oculorum: quia per oculos intrant rerum similitudines: per os verò ipsæ res mansuræ corpori viuenti, quæ hominem multum immutant. Vnde qui custodit os suum, quantum ad sumptionem cibi & potus, custodit animam suam: quia custodit vitam naturæ & gratiæ. Vitam naturæ: quia hoc multum valet ad sanitatem. Eccles. 37. Qui abstinens est, adiuciet vitam, In eodem: In multis

multis escis erit infirmitas. Valet etiam ad custodiendam vitam gratiæ. Sobrietatem enim comitatur continentia. Vnde super Matth. 4. cap. dicit Glossa: Diabolus victus de Gula, non tentat de libidine. Si tentetur aliquis de ira, vel luxuria, vel loquacitate, post excessum in cibo & potu, facile acquiescit: non sic est, si sobrietatem seruauerit. Custodiendum est os à cibis & potibus, quasi proditoribus: qui quanto cum maiori gaudio recipiuntur, tanto plus nocent. Prouerb. 23. Dicitur de vino: Ingreditur blandè, & in fine mordebit vt coluber. Seneca: Voluptates inter res inuisissimas habe, & præcipuè exturba, quæ more latronum in hoc nos amplectuntur vt iugulent.

*Gloss. ordin.
super illud:
Hæc omnia
tibi dabo.*

*Epist. 52. in
fine.*

Custodia verò oris quantum ad locutionem, specialiter valet ad custodiam animæ. & pro illa specialiter videtur dixisse Salomon illud verbum: Qui custodit os suum, &c. Vnde subdit: Qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Loquentem inconsideratè sequuntur hæc mala. Primò, conscientia remorsio. Qui multis utitur verbis, lædit animam suam. Secundò, gratiæ euacuatio. Sapiens in verbis amabilem se reddit, gratiæ autem fatuorum effundentur. Tertiò, confusio. Os stulti confusio proximum est. Impius confundit, & confunditur: In futuro verò damnatio, Mors

Eccl. 20.

Eccl. 20.

Pro. 10.

Ibid.

Ibid.

& vita in manibus
linguæ.



Secum-

*Secunda pars huius Capit. Quòd magna diligentia est
adhibenda in custodia linguæ quadruplici ratione.*

Quadruplici ratione magna diligentia est
adhibenda circa custodiam linguæ. Primò,
quia eius custodia est valdè difficilis. Secundò,
quia est valde utilis. Tertiò, quia valde indecens
est circa eius custodiam negligentia. Quartò,
quia hæc negligentia est valde periculosa. Dif-
ficultatem custodiendi linguam, primò osten-
dit nobis natura; quæ linguam includit, sicut so-
lent includi crudelia animalia, & indomita, ne
noceant. Secundò, scriptura. In Psal. Pone Do-
mine custodiam ori meo, & ostium circumstã-
tiæ labiis meis. Propter difficultatem custodi-
di linguam, rogat David Dominum de eius cu-
stodia. Domini est gubernare linguam. Non suf-
ficit ad hoc virtus, vel discretio humana. Quis
dabit ori meo custodiam? ori tuo facito ostia, ut
scilicet possit custodiri lingua. Omnis natura
bestiarum, & volucrum, & serpentum, & cæte-
rorum domatur, & domita est à natura huma-
na: linguam autem nullus hominum domare
potest. Et subditur: Est enim inquietū malum.
Utilis est valde custodia linguæ. Si enim lingua
debito modo regatur, de fructu eius potest ho-
mo ditari. De fructu oris sui vnusquisq; reple-
bitur bonis. Pretiosi fructus linguæ, quam Spi-
ritus sanctus regit, qui in specie linguæ apparere
voluit, sunt, modestia in loquendo, oratio, Dei
laudatio, gratiarum actio, peccatorum confes-
sio, proximi eruditio, & consolatio. Linguæ uti-
litatem ostendit Salomon, dicens. Vena vitæ os
iustic

Proverb. 19

Eccl. 22.

Eiusd. 28.

Iac. 3.

Pro. 12.

Pro. 10.

iusti. Sermo est instrumentum sapientiæ: circa *Pro. 10:*
 quod intendunt tres magnæ scientiæ: scilicet
 Grammatica, Logica, & Rhetorica. Et circa
 idem pro magna parte intendit diuina scientia.
 Magnum reputatur scire ea quæ tres dictæ scien-
 tiæ circa sermonem attendunt: sed valde ma-
 gnum est seruire ea quæ in sermone diuina sci-
 entia requirit. Si quis in verbo non offendit, hic *Iacob. 3:*
 perfectus est vir. Qui moderatur labia sua, pru- *Pro. 10:*
 dentissimus est, non solum prudens vel pruden-
 tior. Sermone perpenditur an aliquis sit sapiens.
 In lingua, sapiëntia dignoscitur. Ante sermonem *Eccl. 4:*
 non laudes virum: Hæc enim tentatio est homi- *Eiusd. 27:*
 num. Hieron. In pondere verborum, probatio
 existit humanæ vitæ. Valde indecens est, cum
 custodia linguæ negligitur: & lingua inquina-
 tioni exponitur. Lingua enim est nobile mem-
 brum: rationis organum speciale. In quo mem-
 bro homo specialiter est honoratus à Deo, quod
 specialiter deputatū est diuino officio, electum
 specialiter à Spiritu sancto: quo fit instrumentum
 sapientiæ & gratiæ, scilicet sermo. Valde seruan-
 dum est ab iniquatione os humanum, & quan-
 tum ad labia, & quantum ad linguam. Indecens
 est valde ibi immunditia propter eius nobilita-
 tem. Qui ori suo ab iniquatione non parcit, ab
 homine quasi degenerauit: & in porcum tran-
 sit. Porcus non plus parcit ori ab iniquatione
 quam pedi, vbi ponit pedem ponit & os. Lingua
 quantum ad vsum loquelæ naturaliter est orga-
 num rationis: nec inuenitur naturaliter quan-
 tum ad vsum istum, nisi in habente rationem,
 ideo à ratione regi debet, & ad eius imperium in-
 F actum

actum suum exire. Cùm ad iumentum non pertineat loquela, iustè posset illi Dominus loquelam auferre, qui vt iumentum factus est: & ratione linguam suam non regit. Cùm in membro isto homo præ omnibus creaturis sit honoratus à Deo, valde ingratus est, si eo Deum inhonorat. Creaturæ irrationales vt aues, lingua sua Deum laudando honorant; vnde multum potest offendi Deus, videns se sola lingua humana inhonorari: à qua maximè debuit honorari. Lingua deputata est diuino officio. Ea enim homo Deum orat & laudat. Quia illa Deus oratur: multum cauendum est, ne illa Deus offendatur: quia (vt ait Gregorius) cùm is displicet, qui ad interpellandum mittitur: irati animus ad deteriora prouocatur. Et quia Deus ea laudatur, à peccato seruanda est: quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Cùm electa sit à Spiritu sancto, non debet seruire spiritui maligno. Sermo est instrumentum sapientiæ. Sapientia est in corde quasi in quiete: in sermone verò quasi in vehiculo. Per sermonem enim quasi transfertur de vno in alterum. Etiam est quasi gratiæ vehiculum: quia per sermonem datur audiendi gratia. Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis est ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Vnde verba Christi dicuntur verba gratiæ. Mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore Dei. Negligentia circa custodiam linguæ valde periculosa est. Multum enim nocet si non custodiatur. Vnde dicitur de ipsa, quod est inquietum malum, plenum veneno mortifero. Et ibidem dicitur

*In Pastoralis prima p.
cap. 11.
Eccl. 15.*

Ephes. 4.

Luc. 2.

Iac. 3.

dicatur: Lingua nostra ignis, vniuersitas iniqui-
 tatis. *Gloss.* Vniuersitas, quia per eam ferè cun-
 cta facinora, aut cōtinuantur, vt latrocinia, stu-
 pra: aut patrantur, vt periuria, falsa testimonia:
 aut defendūtur, vt eūm quilibet scelus excusat
 quod cōmisit. Nocet lingua ei qui loquitur, eua-
 cuando mentem eius bonis. *Bern.* Leuis res est
 sermo: sed grauit̄ vulnerat: aptissimum eua-
 cuandis cordibus instrumentum. *Eccl.* 28. Multi
 ceciderunt in ore gladij: sed non sic quasi qui in-
 terierunt per linguā suam. In eod. Flagelli plaga
 liuorem facit: plaga autem linguæ comminuet
 ossa. Nocet lingua audienti. *Bern.* Vnus est qui
 loquitur, & tantūm vnum verbum profert: &
 tamen vnum verbū, vno momento, multitudi-
 nis audientiū aures dum inficit, animas interfi-
 cit. Nocet his de quibus loquitur etiā valde re-
 motis: vt lingua eius qui est in Gallia, nocet ei
 qui est vltra mare, vel in Hispania, dum eum in-
 famat. Imo lingua eius qui est in terra, nocet ei
 qui est in cælo: dum Deum blasphemat. In *Psal.*
 Posuerūt in cælū os suum, &c. Et notandū quòd
 cūm homo constet ex corpore & spiritu, sermo
 qui est eius instrumentum, habet aliquid quasi
 corporale, scilicet vocem: & aliquid quasi spiri-
 tuale, scilicet significatiōē: ratione cuius attin-
 git non solum creaturā, sed etiam creatorē, qui
 sermone oratur, laudatur, vel blasphematur.
 Item attingit spiritum creatum. Sermone enim,
 volūtas vnus spiritus alteri manifestatur. Item
 attingit non solum præsentiā, sed etiam præ-
 terita & futura: & non solum propinqua, sed
 etiam remota: ideo multum potest nocere.

*Gloss. ordinis
 ibid.*

*In serm. de
 triplici cu-
 stodia, scilicet
 manus,
 lingua, cor-
 dis.*

*Sermon. 24.
 in Cant.*

*paulò ante
 medium.*

Ecl. 28.

Vna mala lingua, scilicet vnus mali consiliarij destruit patriam vnā. Dicitur de lingua tertia. Ciuitates muratas diuitum destruxit.

Tertia pars huius capituli, quae sunt attendenda in locutione, distinctim explanat.

*In tract. de
instruct. no-
uit. cap. 13.*

AD disciplinam linguæ pertinet attendere, quis loquitur, & cui, & de quo, & quid, & vbi, & quando, & quomodo. Circa primum instruit Hugo de sancto Victore his verbis. Qualitas personarum quatuor modis consideratur: scilicet secundum ætatem, secundum scientiam, secundum officium, & secundum conditionem. Secundum ætatem: quia aliud conuenit locutionibus senum, aliud locutionibus iuuenum. Secundum scientiam: quia aliud conuenit locutionibus sapientum, & aliud locutionibus simplicium. Secundum officium: quia aliud conuenit locutionibus eorum qui negotia terrena tractant: & aliud locutionibus eorum qui sanctioris vitæ quieti, & studio contemplationis inuigilant. Secundum conditionem: quia aliud conuenit locutionibus eorum, qui sunt prælati: & aliud locutionibus eorum qui sunt subditi. Senes debent loqui de discretione bene consulendi; iuuenes de instantia benefaciendi. Sapientes de mysteriis scripturarum: simplices verò de exemplis bonorum operum. Hi qui tractant exteriora negotia, de solertia acquirendi: hi qui quietam vitam ducunt, de disciplina bene viuendi. Prælati de diuisione & prouisione rerum: subiecti de obediētia præceptorum. Circa idem instruimur: Non decent stultum verba composita.

Pro. 17.

fit. Non est speciosa in ore stulti parabola. Item: *Eccl. 20.*

Quomodo pulchras frustra habet claudus tibia: sic indecens est in ore stulti parabola. Et in-

telligas stultum, non solum cui deest scientia:

sed etiam cui deest bona vita. Circa secundum,

scilicet secundum personam cui loquimur, in-

struit Hugo de S. Victore his verbis: Boni pra-

uorum colloquia aliquando appetere, aliquan-

do vitare debent. Appetere, quando sua exhor-

tatione illos sperant posse corrigi: & de sua sta-

bilitàte confidunt, ut non timeant de eorum

suggestione praua corrumpi. Quando vero &

illorum duritiam, & suam infirmitatem confi-

derant: expedit eis ut fugiant: ne dum illos non

valent suis admonitionibus corrigere, paulatim

incipiant ipsi ad prauitatem illorum declinare.

Cum ergo propter nostram ædificationem lo-

quimur, cum illis loquamur, quorum doctrina

possumus ad virtutem instrui. Cum autem lo-

quimur propter ædificationem proximi, cum

illis loquamur, quos speramus per nostram ex-

hortationem à prauitate sua posse emendari: a-

liquin & sapientes velle docere, superbia est: &

obstinatos corripere, insipientia. Circa illud in-

struimur: In auribus insipientium ne loquaris:

quia despicient doctrinam eloquij tui. Noli ar-

guere derisorem. Cum stulto ne multum lo-

quaris. Nolite sanctum dare canibus: neq; mit-

tatis margaritas vestras ante porcos. Canes sunt

detractores, porci cōtemptores. Loquens cum

illo, quem sperat exhortatione sua posse corrigi,

instruitur ab Hugone de S. Victore his verbis:

Id profecto maius dici conuenit, quod ad illud,

Eccl. 20.

Pro. 26.

*In tract. de
instruct. no-
uit. cap. 14.*

Pro. 23.

Ibid. 9.

Eccl. 22.

Matth. 7.

*In tract. de
instruct. no-
uit. cap. 14.*

à med.

in quò tempore plus laborat, malum sanādum, consilio commodiori occurrit. Verbi gratia: Quando constantiam laudare volumus, ad pusillanimes, nō ad superbos sermonem nostrum dirigere debemus: quia cū vitium superbiæ nonnunquam sub prætextu constantiæ se contegat, si superbis cœperimus laudare constantiā, dum eos ad virtutē hortari credimus, amplius eos in suo vitio confirmamus. Exhortemur ergo ad constantiā timidos, ad timorem superbos, ad frugalitatē prodigos, & ad liberalitatem auros. Similis instructio habetur: Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia. Admonitio debet esse secundum defectum gratiæ, quem habet ille quē admonemus. Item secundum capacitātē auditorum, formādus est sermo doctorum: vt dicit Greg. Et hoc non solum quantum ad sublimitatē vel subtilitatē doctrinæ, sed etiam quantum ad prolixitatē. Aliqui minus capacibus tot & tanta dicere volūt, quod nihil retinent. Ipsi volunt ponere dolium vnum vini in lagenā vnā, vel cyphum vnū. Attendere debet etiā qui loquitur, vt sermo eius materiæ congruat. Senec. Vitiosum est in re seria delictum inferre sermonē. Non decet etiam cū de diuinis loquimur, vt exemplis vilibus vtamur. Reprehensibile est etiam, circa paruā negligentiam nimium zelum ostēdere. Alij quærunt ensē ad muscā occidendā, & securim ad ouū frangendum. Tales sunt qui erga modicā negligentiam ita mouētur, ac si esset magnum peccatum: quod non debet fieri, maximè cū hoc facile potest corrigi. Circa quartum, scilicet circa id

Ecc. 37.

*In prologo 3.
prim. in pasto. in med.*

ea id quod dicendum est, instruimur: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Semper vester sermo in gratia sit sale conditus. Benedictus in regula sua: Scurrilitates vel verba odiosa, & ad risum mouentia, æterna clausura in omnibus locis damnamus: & ad tale eloquium discipulum os aperire non permittimus. Bern. in lib. de consideratione: Inter sæculares nugæ sunt nugæ: in ore sacerdotum blasphemiam. Interdum si incidant, ferendæ fortasse, referendæ nunquam. Consecrasti os tuum Euangelio: iam talibus aperire illicitum est: affuescere sacrilegium. Idem: Verbum scurrile, quod faceti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore: etiam ab aure relegandum est. Fædè ad cachinnos moueris: fædius moues. Tacendum esse etiam propter defectum intelligentiæ, ostenditur; Si est tibi intellectus, responde proximo tuo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris verbo indisciplinato. Propter reuerentiam auditorum tacendum esse etiam, ostenditur; In medio seniorum ne adicias loqui. Quod propter obstinationem malitiæ sit tacendum, ostensum est prius. Circa modum loquendi instruit Hugo de sancto Victore his verbis. Modus loquendi in tribus consistit: hoc est, quo gestu, quo sono, qua significatione quid dicatur. Disciplina iubet, ut loquentis sit modestus gestus & humilis, sonus demissus & suavis, significatione vera & dulcis. Modestiam debet habere gestus loquentis, ut nec inordinate, nec impudicè, nec turbulentè inter-

*Eph. 4.**Coll. 4.**Cap. 6. in fine illius.**Lib. 2. paulo à fine illius**Eccl. 5.**Eccl. 11.**In tract. de instruct. nouit. cap. 17. in princip.*

loquendum membra moueat: aut aliqua indecenti conformatione, aut transmutatione vultus, prolationem sui sermonis imminuat. Humilis debet esse gestus loquentis, vt apud auditores gratiam sermo eius inueniat. Sonus loquentis, debet esse remissus: ne strepitu aut immoderata clamofitate auditores suos aut iniuste terreat, aut iuste offendat. Porrò detrahere vel detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim. Seneca. Sermones vtilis magis quam facetos & amabiles, amatores potius quam obsecundantes. Idem: Si tempus iocos exigit, hos cum dignitate sapientie gerere. Non erit tibi scurrilitas, sed grata vrbalitas. Sales tui sine dente sint: ioci tui sine vilitate. Idem: Non sis aliorum curiosus scrutator, neque acerbus reprehensor: sed sine reprehensione & exprobratione correptor: ita vt admonitionem hilaritate praeuenias: & errori facile veniam dato: nec extollas quemquam, nec deicias. Requirenti facile responde, contendenti facile cede: nec in iurgia detractionesque descendas. Idem: Rari sermonis sis ipse, sed loquentium patientis; seuerus sis, non saeuus, sed hilarem non aspernans. Circa locum vbi loqui debemus, instruit Hugo de sancto Victore his verbis: Cum aliquid dicere volumus, prius vbi illud dicere conueniat consideremus. Nam quaedam sunt loca, vbi silentium seruandum est: quaedam vero in quibus humanos sermones, id est, confabulationes edere ad alterutrum non licet: exceptis his verbis, quibus homo cum Deo, vel ad Deum loquitur, quando in orationibus vel in

lectioe

*In tract. de
instruction.
quous. ca. 15.
in princip.*

lectionibus, sitie in hymnis & canticis, manifestè
 vel occultè prolatis Deo famulatur. Vnde &
 beatus Augustinus in regula: in oratorio nihil
 agendum esse dicit, præter id ad quod factum
 est. Et intelligit illud August. in oratorio nemo
 aliquid agat, nisi ad quod factum est: non solum
 de opere, sed etiam de locutione. Item Hugo:
 Non debemus ea quæ sunt pluribus dicenda, in
 occulto edere: nec ea quæ sunt paucis reuelan-
 da, in manifesto propalare. Sapiens: Quidam ea
 quæ solis amicis committenda essent, his quos
 habuerunt obuiam, narrant. Non possunt ali-
 qui auditum verbum tenere. Sagitta infixæ fe-
 mori canis: sic verbum in ore stulti. In eodem:
 A facie verbi parturit fatuus, parturiens non
 quiescit donec partum emiserit: nec fatuus do-
 nec verbum protulerit. Attendendum est etiam
 tempus loquendi. Sermo oportunus est opti-
 mus. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur
 verbum in tempore suo. Homo sapiens tacebit
 vsque ad tempus. Ex ore fatui reprobabitur pa-
 rabola, quia non dicit illam in tempore suo. Tem-
 pus tacendi, & tempus loquendi. Hugo de san-
 cto Victore: Tempus tacendi, tempus loquendi
 præcedere debet: quia prius per silentium, tem-
 pore tacendi discitur: quod postea per verbum,
 tempore loquendi proferatur. Aliquando de-
 bemus tacere, quia alter prior cepit loqui: ne
 forte si sermonem verborum nostrorum prola-
 tione interrompimus, & eum qui loquitur, &
 eos qui audiunt pariter offendamus. Aliquan-
 do tacendum est: quia ad id quod dicere volu-
 mus, animos auditorum paratos adhuc non esse

*In 3. regula
 non procul
 à princip.*

*Senec. epist.
 3. à med.
 Eccl. 19.*

Pro. 15.

Ibid. 25.

Eccl. 20.

Ibid.

Eccl. 3.

*In tract. de
 nouitiorum
 instruct. ca.
 16. tom. 2.*

consideramus. Aliquando tacendum est: propter multiloquium vitandum, vel quia ipsi qui locuturi sumus, nōdum apud nosmetipsos congruam loquendi formam inuenimus, quia profectō animus auditorum magis offenditur, si sermo qui ædificare debet, confusus & inordinatus proferatur. Aliquādo tacendum est: quia hi qui præsentes habentur, nequaquam tales sunt, ad quos verbum debeamus facere. Quod duobus modis fieri potest: scilicet vel dum reuerentia dignitati personę impenditur: vel dum malitia incorrigibilis, & ideo indigna admonitione existimatur. Et subdit; quōd sermonem eorum qui priores nobis cœperunt loqui, non debeamus interrumpere, ostendit Iob: qui cū de disciplina sua & aliorum reuerentia erga se loqueretur, inter cætera sic ait: Qui me audiebant: expectabant sententiam meam: & intenti tacebant ad consilium meum, &c. Sæpe propter infirmitatem auditorum tacendum est, vt Dominus suo exemplo docet: qui cū Apostolos suos adhuc imbecilles, & ad sublimioris doctrinæ eruditionem imparatos aspiceret, ait: Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modō. Multiloquium timendum esse insinuat Salomon, dicens: In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua, prudētissimus est. Vnde de Christo legitur: Non clamabit. Seneca. Vox fit sine clamore. Suavis debet esse: ne prolationis asperitate tantō fiat animis audientium onerosior, quantō ad aures durior venit & iniucundior. Significatio, id est, sententia sermonis debet esse vera, Aug. in libro de

Iob 29.

Ioan. 16.

Pro. 10.

Isa. 42.

de doctrina Christiana: Minus intelligantur, minus placeant, minus moueant quæ dicantur: vera tamen dicantur & iusta. Hugo de sancto Victore: Cum veritate necesse est vt sermo loquentis dulcedinem habeat: quia sæpe etiam veritas auditori amara efficitur, si aut sine ratione, aut sine dilectione, hoc est, si vel importunè vel impie contra eum proferatur. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. qui sapiens est corde, appellabitur prudens: qui dulcis est eloquio, maiora reperiet. Magis enim proficiunt, qui habent dulcedinem linguæ, quàm qui habent magnam sapientiã in corde. Et notandum quòd sermo noster debet esse purus. Purus sermo, pulcherrimus, firmabitur à Domino. Purus debet esse à falsitate, purus à noxietate proximi, & purus à contumelia Dei.

*In tract. de
instruct. no-
uit. cap. 17.
circa med.
Eccl. 6.
Ibid. 16.*

In quarta parte huius capituli, quatuor quæ multum ad linguæ custodiam valent, enumerantur.

Quatuor sunt, quæ multum valere possunt ad linguæ custodiam. Primum est, quod ante portam oris barræ ponantur. Secundum est, vt porta oris rarò aperiatur. Tertium est, vt aperta porta citò claudatur. Quartum, vt in ea clavis habeatur. Quasi barræ ante portam oris, sunt firma proposita declinandi illas personas, cum quibus per linguã peccare solemus, vel loca illa in quibus habemus occasione peccandi per linguam; Vel tenendi silentium in illis horis, in quibus homo facilius per linguam labitur: vt est hora post sumptionem cibi

& po-

*Pro. 18.**Jacob. 1.**Pro. 10.**Eccl. 4.*

& potus, & alia similia proposita salubria, valentia ad custodiam linguæ. De his barris habetur: Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma, & iudicia quasi vectes vrbiū. Proposita ex iudicio rationis facta, sunt quasi vectes vel quasi barræ. Rarò aperienda est porta oris, & citò claudenda. Sapiens: Ad summam perfectionem te volo esse breuiloquum, rariloquum, & submissa voce loquentem. Sit omnis homo tardus ad loquendum. Seneca: Tardiloquum te esse iubeo, & propè erit tibi Deus. Idem: Aurem verbis frequentius, quàm linguam accommoda. Sicut multiloquiū frequenter habet peccatum, secundum illud: In multiloquio non deerit peccatum: sic breuiloquium valet ad hoc, vt caueatur peccatum. Triplicem clauem debet habere porta oris. Primam in arca cordis. Secundam in manu Prælati. Et tertiam in manu Dei. Locutionem viri religiosi debet præcedere mentis deliberatio, id est, prius veniat sermo ad lumē quàm ad linguam. Eccles. 5. Ne temerè quid loquaris. Noli citus esse in lingua. Eiusd. 21. Verba prudentum statera ponderabuntur. Sapiens habet os in corde, in cordis scilicet potestate & dispositione: stultus cor in ore. In eodem: In ore factorum cor illorum: & in corde sapientum os illorum. Religiosus etiam antequam loquatur, à Prælato suo licentiã debet petere. Qui nesciente & nolente Prælato ad loquendum portam oris aperit, postquam clauē ei tradidit, fractor templi spiritualis esse videtur, & quasi fur, faciendo clauem contra clauem. Orationem etiam debet ad Deum præmittere, cuius est linguam gubernare

nare: vt linguam regat, ne in ea offendat. In Psal.
Domine labia mea aperies.

*Quinta pars huius capituli, quantum valet claustrale
silentium ad lingua custodiam: bonaq; ex eiusdem
custodia prouenientia lucide ostendit.*

Circa claustrale silentium notandum, quod
pro eius obseruantia zelare multum de-
bent Prelati, qui claustra habent in sua custodia.
Claustrum absque obseruatione silentij, est ve-
lut equus sine freno: Si equis frena in ora mitti- *Iac. 3.*
mus, ad consentiendum nobis, & omne corpus
eorum circumferimus, & cetera. Sessor equi li-
cet cæteris membris eius libertatem concedat,
ori tamen frenum imponit. Sic rector claustri,
frenum silentij debet ori imponere. Absq; fre-
no silentij vana est religio: Si quis putat se reli- *Iacob. 1.*
giosum esse, non refrenans linguam suam, sed
seducens cor suum: huius vana est religio. Reli-
gio absque silentio, est quasi claustrum habens
guerram absque porta, & absq; muro. Memen- *Iob. 40.*
to belli, nec vltra addas loqui. Ori tuo facito o- *Eccl. 28.*
stia. Sicut vrbs patens, & absque muri ambitu: *Pro. 25.*
ita vir qui non potest in loquendo cohibere spi-
ritum suum. Religiosus vir qui non seruat silen- *Iob. 30.*
tium, potest dicere illud: Quasi rupto muro &
aperta ianua irruerunt super me. Silentium, quasi *Iacob. 3.*
bestiam crudelem & indomabilem, lingua in-
clusam custodit: Linguam nullus hominum
domare potest. Foueam obstruit, per quam in- *Pro. 12.*
finiti perierunt: Propter peccata labiorum rui- *Eccl. 14.*
na proximat malo. Beatus qui non est lapsus
verbo ex ore suo. Silentium os claudit, vnde
flamma

Jacob. 3.

flamma infernalis exit. Lingua ignis est, inflama-
mata à gehenna. Silentium malitiam suffocat.

Eccl. 19.

Qui odit loquacitatē, extinguit malitiam. Lin-
guam maledicam emendat. Hieronymus: Lin-
guam maledicam indictum emendat silentium.

Isa. 30.

Hominem roborat. In silentio & spe erit forti-
tudo vestra. Sicut ad fortitudinem obsessorum
in castro valet clausura bona cum forti adiuto-
rio: sic ad spiritualem fortitudinem valet silen-
tium cum spe de celesti adiutorio. Abbas Pastor.

Omnis labor quicumque euenerit tibi ex taci-
turnitate, superabitur. Sicut pugil nunquam vel
rarò vincitur, nisi verbum malum dixerit: sic
vix vincitur homo à diabolo, si à verbis malis
cauerit. Claustrum pacificat. Prouerb. 26. Qui
imponit stulto silentium, iras mitigat. Silentium

diuino eloquio auditum præparat. Tren. 3. Bo-
num est præstolari cum silentio salutare Dei.
Verbum increatum non reuelat secreta sua in
tumultu. Ecclesiast. 32. Vbi auditus non est, non
effundas sermones. 1. Regum 3. Loquere Do-
mine quia audit seruus tuus. Silentium seruo-
rem deuotionis seruat. Sicut solet obstrui vas, in
quo fit vinum ferratum, vt vinum fit fortius: sic
oportet vt claustralis seruet silentium, vt seruo-
rem deuotionis fit in eo. Si verò os eius ad loquaci-
tatem fit apertum: quidquid deuotionis est in
eo, exhalat. Eccles. 20. Gratia fatuorum effun-
dentur. August. Loquela fit in necessitate, taci-
turnitas in iocunditate. Ad taciturnitatem mo-
nemur exemplo Christi: Quasi agnus coram
tondente se obmutescet, &c. Gloss. Pilato vel
Herodi pauca respondit, ne salus humani gene-
ris

*Isa. 53.**Glos. ord.**ad illud, nō**aperuit os**suum.*


Herodi pauca respondit, ne salus humani gene-
ris

ris differretur. Libenter ergo & tu tacere debes: ne impediatur salus tua. Abbas Agathon per triennium lapidem in ore suo mittebat, donec taciturnitatem disceret. Qui non habet discretionem loquendi, habeat discretionem tacendi. Seneca. Taciturnitas homini stulto pro sapientia est. Prouerb. 17. Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur. Rarò tamen gratia tacendi in stulto inuenitur. Sapiens: nemo stultus tacere potest.

De disciplina in comestione. Et primo disciplina in mensa commendatur.

CAPVT VI.

Disciplina in mensa multum est commendabilis. Ipsa in loco illo immunditiam cauet, in qua multum hominibus displicet, scilicet ad mensam. In membro illo etiam munditiam seruat, in quo immunditia maximè indecens est, scilicet, in ore. Per eam, offensam Dei cauemus, quando eam maximè debemus cauere, scilicet quando bonis eius vtimur. Magna peruersitas est Deum offendere, cum in mensa eius sumus. Cauent latrones aliquot diebus, ne eis noceant, cum quibus comedunt. Per eam etiam fit, vt cum reficitur corpus, reficiatur & animus. Iustus comedit & replet animam suam. Ipsa etiam facit, vt cum pascitur homo, pascatur & *Pro. 13*
Deus. Puritatem enim seruat, qua delectatur Deus. Canticorum 2. Qui pascitur inter lilia, &c.



Secunda pars huius capituli: in quibus disciplina seruanda sit in mensa.

*In tract. de
inst. nouit.
cap. 18.*

*Eod. cap.
nunc antea
citato.*

*Eod. lib. &
cap. citatis.*

Quantum ad quatuor est seruanda disciplina in mensa, scilicet quantum ad taciturnitatem, quantum ad visum, quantum ad continendi se modum, & quantum ad cibi & potus sumptionem. De tribus primis dicit Hugo de S. Victore his verbis: Debet quisque inter epulas conseruare disciplinam in semetipso, videlicet vt linguam suam à loquacitate restringat, & oculos suos à circumspeditione cohibeat: & vt cetera membra omnia cum modestia, & quiete contineat. Idem de taciturnitate. Taciturnitas inter epulas necessaria est, idcirco, quoniam lingua, quæ omni tempore prona est ad peccatum, labitur periculosius, cum per crapulam inflammata fuerit: si ad loquendum relaxetur. Propterea diues qui inter epulas loquacitati seruiert, post in inferno positus vehementius in lingua ardebat. Idem: Custodia oculorum inter epulas propterea necessaria est, quia non decet, ibi precipue, vt vagos quis habeat oculos, neque curiosè respiciat, & vt amplius aliquid dicam, impudenter ea quæ apud alios aguntur circumlustrando perspiciat: sed vt potius dimissis luminibus, ea tantum quæ sibi apposita sunt, attendat. Idem: Custodia quoque se continendi ibi negligenda non est, quatenus videlicet neq; in habitu, neque in gestu indecens aliquid aut inhonestum agatur: nihil cum strepitu aut tumultu fiat: sed omnia membra cum modestia & tranquillitate in disciplina contineantur.


Ad

Ad disciplinam in sumptione cibi & potus pertinent, quid, quantum, & quomodo sit sumendum. In libro de vita solit. Cura carnis agenda est sobriè, & cum quadam spirituali disciplina: vt neq; in modo eius, nec in qualitate, neq; in quantitate aliquid appareat, quod non deceat seruum Dei. In eod. Ipsa necessitas non seculariter, non carnaliter, expleatur: sed sicut conuenit seruo Dei. Nam etiam ad sanitatem corporis cibus quantò honestius & ordinatius ingeritur, tantò facilius & salubrius digeritur. Obseruandus est ergo sumendi modus, & tempus, cibi qualitas & quantitas. Tempus, ne ante horam. Qualitas, qua scilicet vtitur communitas fraternitatis: excepta causa manifestæ necessitatis. Qui tempus comedendi præuenit, nõ expectat donec salsa parata sit, scilicet fames: vnde cibum insipidum comedit. Seneca: Solus panis, bonus fiet tibi; cum tenerum & similagineum fames reddit: ideo non edendum, antequam illa imponat. Expectabo ergo, nec antè edam, quàm aut bonum panem habere potero: aut malum fastidire desiero. Ber. Prudenter sobrièq; conuersanti satis est ad omne condimentum, sal cum fame. Sapiens: Desideriis omnia condiuntur. Qui in religione est, non debet nimis preciosa vel delicata expetere: nec rara vel insolita requirere: nec nimis accuratè & lautè præparata concupiscere.

Bernard.

*Epist. 120.
habet aliquid de hoc.*

Epist. 1. declinando ad finem.



G

Quod

Quod preciosi cibi non sunt querendi. Tertia pars huius capituli.

AD non expetendum preciosa, primo debet eum monere professio voluntariæ paupertatis. Qui parum vult habere consequens est, vt parum velit expendere. Qui precium non habet, preciosa querere non debet. Senec. Pauper, vbi diuites cœperit imitari, perit. Secundo, affectio pietatis, quã debet habere ad pauperes Dei filios & fratres suos: inter quos multi sunt qui etiam panem nō possunt habere. Qualis est fraternitas, quod alij non habeant necessaria, alij habeant superflua? Magna puerfitas quod vilis seruus preciosa querat: cū Dominum suum in pauperibus egere sciat. Non videtur verum membrum esse illius, cuius Christus est caput, qui indigentia membrorum eius non competitur: Si quid patitur vnum membrum, competiuntur omnia membra. Fidem posside cum amico tuo in paupertate illius: vt in bonis eius læteris. Bernardus: Noli putare gratuitū, quo impendis proximo: velis nolis debitor es.

1. Cor. 12.
Eccl. 22.

Tertiò, peccatum quod est in acquirendo. Frequenter enim sumptus quibus preciosa habentur, acquiruntur vel cum periculo eius qui eis vtitur: vel illius à quo dantur. Noluit Dauid bibere aquam quam sibi attulerant tres fortes sed libauit eam Domino, dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc. Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam? Melius est sine periculo tantum panem & aquã sumere, quàm cum periculo

2. Reg. 23.
1. Mach. 5.

culo preciosa habere. Iudas secessit in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat: & fœni cibo vescentes demorabantur, ne participes essent coinquinationis. Quarto, conditio corporis. Cum enim corpus vas sit, ubi corrumpitur quod infunditur: fatuum videtur esse, ibi preciosa ponere. *Ululate omnes* *Ioel. 1.* qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam perit ab ore vestro. Non sic est in aliis sensibus. Non enim corrumpitur res pulchra, cum semel visa fuerit: nec res odorifera, cum semel odorem eius aliquis perceperit. Non videtur quod Deus voluerit hominem quærere cibos pretiosos, qui eandem assignauit cum iumentis escam. *Ecce dedi vobis herbam afferentem semen supra terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ. Quod cibi preciosi quæruntur, hoc frequenter accidit, vel ex delectationis amore, vel ex ambitione, & utrobique est magna fatuitas. Fatuum est sumptus magnos facere pro breui delectatione, quantum transitus cibi per guttur durat, solum durante. Item valde fatuum est & peruersum pascere oculos mundi de hoc, quod subtrahitur in pauperibus famelico ori Dei.* *Gen. 1.*

Quod delicia non sunt quærenda corpori. Quarta pars huius capituli.

Multis de causis fatuum est corpori suo delicias procurare. Primo, quia qui delicatis utitur, infirmitati corporis sui medicum adhibet, unde infirmitas aggrauatur. Se-

Lib. 10. cō- cundum Augustinum sumenda sunt alimen-
fes. cap. 31. ta, sicut medicamenta; sed, sicut dicit Gregor.
in prin. Medicamentum in vulnus vertitur, quando ex-
rom. 1. quisito remedio paulo diutius inhærentes, ex
 eo grauius deficiamus, quod improvidè ad refe-
 ctionem paramus. Secundo, quia dum aliquis
 delicatis vtitur, hosti eius consuetudo mala su-
 per eum acquiritur, quæ vix excutitur. Seneca:

Epist. 39. Voluptatibus se immergunt, quibus in consue-
post mediū. tudinem adductis carere non possunt: & ob hoc
 miserimi sunt, quòd eò peruenerunt, vt illis
 quæ sunt superflua, facta sint necessaria. Con-
 suetudo mala pertinens ad vitium gulæ vix de-
 ponitur. Coruus non est reuersus ad arcam. A-

Gen. 8. ctus, vnde generatur hoc vitium, & augetur, &
 multum frequentatur: ideo hoc vitium vix de-
 dicitur. Glutinum est valde forte, & quasi in-
 dissolubile. Vxorem duxi, ideo non possum ve-
 nire. Ad matrimonium pertinet indissolubili-
 tas. Vxorista est voluptas carnis. In hoc matri-
 monio, in quo diabolus coniungit, solus Deus
 separat.

Bernard. Tertio, quia qui delicata corpori suo parat,
 adiutoria hosti suo procurat. In libro de vita so-
 lit. De condimentis sufficit vt fiant comestibiles
 cibi nostri, non autem concupiscibiles vel de-
 lectabiles. Sufficit enim concupiscentiæ malitia
 sua: quæ cum vix aut nullo modo pertransire
 possit ad finem explendæ necessitatis, nisi per
 viam quantæcunq; delectationis: si cœperit ac-
 cipere irritamenta ab eis, qui perpetuum susce-
 perunt bellum aduersus eius oblectamenta, fi-
 unt duo contra vnum, & periclitatur conscien-
 tia.

tia. Quartò, quia vsum deliciarum frequenter
 excessus comitatur, vnde corporis infirmitas &
 sæpe mors sequitur. Seneca. Potest sæpe nostra
 prouidentia huic corpusculo moram prolon-
 gare lógiorem, si voluptates, quibus maior pars
 corporum perit, poterimus regere & coërcere.
 Idem: Ipsæ voluptates in tormenta vertuntur.
 Idem: Quis hostis in quenquam tam contume-
 liosus fuit, sicut in quosdã voluptates suæ sunt?
 Sufficit alicui, si hostem suum excœcat, sed vo-
 luptates non solum excœcant voluptuosos, sed
 etiam impotentes reddunt, & contractos & le-
 profos, & aliis infirmitatibus affligunt eos, &
 tandem interficiunt. Chrysoft. Hi qui in deliciis
 & luxuriis vitam ducunt, resoluta corpora & o-
 mni cera molliora circumferunt, atq; infirmita-
 tibus repleta: quibus ad culmen malorum po-
 dagræ tremor, & immatura senectus accedit: &
 est semper vita in medicis & medicamentis: sen-
 sus autem tardi, & graues, & obtusi, & quodam-
 modo sepulti. Seneca. Victus tibi fit ex re facili:
 nec ad voluptatem, sed ad cibum accede, pala-
 tum tuum fames excitet, non sapes. Cùm os
 non solum sibi cibum sumat, sed toti corpori,
 nec quod sumit sibi retineat, sed ad membra
 transmittat, nõ est habendus respectus in sum-
 ptione cibi, ad os tantum, sed ad corpus. Ali-
 quando enim quod nimis est corpori, parum est
 gulæ: & quæ gulæ sunt delectabilia, corpori sunt
 noxia. Vnde si ille qui habet multitudinem ci-
 borum delicatorum, tantum vult inde fumere
 quod sit satiata gula, potest inde incurrere infir-
 mitatem, vel etiam mortem. Similiter accidere

*Epist. 24. d
 medio.*

*In serm. in
vigilia B.
Andree.*

Pro. 10.

Pro. 19.

Pro. 13.

*Serm. 3. in
natali Do-
mini ante
mediam.*

potest in illo, qui in cibis non attendit, nisi vt
gulæ sint delectabiles. Quod enim est gulæ dele-
ctabile, potest esse corpori mortiferum. Non
congruunt deliciae tempori, in quo sumus. Ber-
nardus. Vniuersum tempus præfens poeniten-
tiæ, vigilia quædam est solennitatis magnæ, &
æterni sabbati quod præstolamur. delitiæ so-
lennitati conueniunt, non vigiliae. Non con-
gruunt etiam delitiæ loco in quo sumus. Lo-
cus enim est exilij, vallis lachrymarum & mise-
riarum, non locus deliciarum. Non eiecit Do-
minus hominem de loco deliciarum, vt hic sibi
delicias procuraret. Item non congruunt deli-
tiæ statui corruptionis, in quo nunc est huma-
na natura. Quæ facilè corrumpuntur, melius
seruatur in aqua falsa, quàm in aqua dulci. Ho-
mo, etiam in statu naturæ bene institutæ, positus
in delitiis, corruptionem incurrit: quem tribu-
latio quasi aqua falsa in statu naturæ destituta
custodit. Non congruunt etiam delitiæ serui
conditioni corporis. Seruo maleuolo, tortura
& compedes congruunt: non delitiæ. Prouerb.
29. Qui delicatè à pueritia suum nutrit seruum:
postea sentiet eum contumacem. Item nõ con-
gruunt delitiæ stultitiæ corporis; ad cuius cor-
rectionem virga necessaria est. Virga in dorso
eius qui indiget corde: Non decent stultum de-
licia. Per stultum cibo satiatus mouetur ter-
ra: Stultus cibo satiatus, est homo carnalibus
deliciis repletus. Non congruunt etiam statui
Christiani. Bernardus. Christus qui non falli-
tur, elegit quod carni molestius est: id ergo me-
lius, id vtilius, id magis eligendum est. Exemplo
ergo

ergo Christi, non carni delectabilia, sed molesta debet Christianus eligere. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me: non est me dignus. Christianus debet potius eligere cum populo Dei carnis afflictionem: quàm inordinatam cum seruis diaboli consolationem, sicut de Moyse legitur: Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm corporalis peccati habere iocunditatem. Specialiter, statui religionis non congruunt delitiæ. In deserto religionis non sunt querendæ delitiæ carnales: sed à Deo querendæ & sperandæ spirituales. Tunc Deus filiis Israël, manna dedit in deserto, cum cibusterrenus defecit. Affixi te penuria, & dedi tibi manna. Qui terrenas delicias non vult habere, cœlestes potest sperare. Gregor. Si à carne quod libet abscindim⁹: mox in spiritu quod delectat inuenimus. Columba fugit aquam, scilicet aquam carnalis voluptatis. Bernar. Delicata est diuina consolatio: & non datur admittentibus alienam. Ioan. 16. Nisi ego abiero, paracletus non veniet ad vos. Bern. Quis audeat de cætero carnis illecebris phantasticis deditus paracletum expectare? Qui claustrum ingreditur, carcerem prælegit, in quo pro peccatis suis puniatur: ne pro eis infernali carceri tradatur. Nō est autem carcer locus deliciarum. Qui religionem intrat, exemplo & amore Christi crucem ascendit, Non est crux locus deliciarum. Non est ibi propinatum Christo vinum electum: sed vinum mirrhatum, vel acetum felle mixtum. Religio locus est, vbi intendendum est

*Gal. 5.**Matth. 19.**Hebr. 11.**Deut. 18.**Gen. 8.*

*Ad sensum
hoc habet
serm. 3. &
6. de ascen-
sio. Domin.*

*Matth. 27.**Luc. 23.*

veræ sapientiæ percipiendæ: quod impediunt multum delicia. Iob. 29. Sapientia non inuenitur in terra suauiter uiuentium. Pulchrè dicitur apud Græcos. Pinguis venter non gignit sensum tenuem. Seneca: Copia ciborum subtilitas intellectus impeditur; Abstinentia verò à deliciis valet ad intelligentiam. Daniel. 1. Pueri qui cibos regios contempserunt, grossis cibis contenti, intelligentiores cæteris inuenti sunt. Delicia ergo viro religioso non congruunt.

Epist. 15. partium à prim.

Quinta pars huius capituli, quod non sunt quærendi cibi insoliti.

In tract. de institut. novit. cap. 19.

Rara & insolita, qui est in religione, non debet querere: & labori ministrantium debet parcere. Hugo de sancto Victore, Alij noua quædam & insolita ciborum genera exquirunt: ita vt sæpe propter vnus hominis ventrem per omnes circumpagos turba famulorum discurrat. Hoc aliquando per rumorem elationis accidit. Qui enim appetunt aliis excellentiores esse in ieiunio suo, aliquid speciale volunt facere. Hieron. Sint tibi pura ieiunia, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesq; ciborum quærere? Carica, piper, nuces, palmarum fructus: tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non vescamur pane. Idem. Audio præterea quosdam contra naturam rerum hominumq; aquam non bibere, nec vesci pane: sed sorbitiunculas delicatas & contrita olera. Proh pudor, non erubescimus huiusmodi ineptiis, nec tædet superstitionis: insuper etiam famam

famam abstinentiæ in deliciis quærimus. Fortissimum ieiunium est aqua & panis: sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua viuimus, quasi publicum & commune ieiunium non putatur.

Sexta pars huius capituli, & dissuadetur ciborum studiosa preparatio.

Qui in religione est, non debet studiosè preparata appetere. Cibos enim studiosè & lautè præparare, est gladium sui hostis acuerè. *In tract. de institut. no. vit. cap. 19. à med.* Hugo de sancto Victore: Alij supersticiosi nimis in præparandis cibis studium adhibent, infinita decoctionū & frixurarum, & condimentorum genera excogitantes: modò mollia, modò dura: modò frigida, modò calida: modò cocta aqua, modò assa: modò pipere, modò allio, modò cumino, modò sale condita: secundū consuetudinem regnantium desiderantes. Bern. Quis dicere sufficit (vt cætera taceam) quod modis oua solaversantur & vexantur: quanto studio euertuntur, subuertuntur, liquantur, durantur? Et nunc quidem frixa, nunc assa: nunc mixtim, nunc separatim apponuntur. Vt quid autem hæc omnia, nisi vt soli fastidio consulatur? Ipsa deinde qualitas rerum talis decoris apparere curatur, vt non minus aspectus quàm gustus delectetur. Et cum iam stomachus crebris ructibus sese repletum indicet, necdum tamen curiositas satiatur: sed dum oculi coloribus, & palatum saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec saporès demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur,

In Apolog. ad Guilielmum abbatem in cap. Dicitur.

*In Apolog.
ad Guiliel-
mum abba-
tem, cap.
Dicitur.*

tur, quam reficitur. Studiosa ciborum præparatio frequenter est occasio quod nimis de cibo sumatur. Bernardus. Tanta quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, ut quatuor vel quinque ferculis deuoratis, prima non impediant nouissima: nec satietas minuit appetitum. Venter quidem dum vescitur, oneratur: sed varietas tollit fastidium. Quia enim puras, ut eas Deus creauit, epulas fastidimus, dum alia aliis multifariè permiscetur, & spreis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula prouocatur saporibus, transitur nimirum meta necessitatis, sed necdum delictatio superatur.

Septima pars huius capituli. De quantitate cibi.

*In tract. de
institur. no-
uit. cap. 20.*

Ezech. 4.

*Eccl. 37.
Luc. 21.*

DE quantitate cibi sumendi, dicit Hugo de sancto Victore; Mensura hæc mihi videtur, ut neque contra honestatem, neque supra necessitatem. Non omnis venter idem sapit alius sic, alius verò sic. Cui minus sufficit: iste priusquam ad turpitudinem edacitatis veniat in superfluitatem offendit. Cui multum opus est, in eo sæpe honestas comedendi læditur: etiam priusquam ad superfluitatem veniatur. Ergo illi cui parum satis est, superfluitatem caueat: ille verò cui multum opus est, magis ad honestatem attendat. Cibus tuus quo vesceris, erit in pondere. Multum noxia est animæ & corpori sumptio nimia cibi & potus. Propter crapulam multi obierunt. Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate. Crapula est cruda epula. Seneca: Ede citra cruditatem: bibe citra

citra ebrietatem. Sobrietas verò in cibo & potu, animæ & corpori multum est utilis. Chryso-
 stomus, Nihil sic salutem, nihil sic sensuum
 acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat,
 sicut moderata refectio. Excessus in cibo fre-
 quenter est occasio ferculorum multitudo: quæ
 non solum animæ, sed etiam corpori est nociua.
 Seneca: Fastidientis stomachi est, multa degu-
 stare. Quæ ubi varia sunt, & diuersa, inquinant,
 non alunt. In multis escis erit infirmitas. Sene-
 ca de antiquis loquens, ait: Simplex erat ex caus-
 sa simplici valetudo: morbos multos multa fer-
 cula fecerunt.

*Epist. 2. cir-
 ca mediũ.
 Epist. 96.
 ante mediũ
 habet ali-
 quid de
 hoc.*

Ultima pars huius capituli, de modo sumendi cibum.

AD modum sumendi cibum pertinet mun-
 ditia & temperantia. Munditiam cibi
 multi non seruant: de quibus Hugo de sancto
 Victore: Quidam ferculorum frustra adipem
 distillantia mensalibus inuoluunt aut superin-
 iiciunt: Alij vnctas manus ad vestimenta sua de-
 tergentes, rursus ad cibaria tractanda redeunt.
 Alij nudis articulis coclearis vice piscantur, ita
 vt in eodem iure & manus ablutionem, &
 ventris refectioem, quærere videantur: Alij
 semirosa crustula cibariis iterum infigunt, &
 reliquias dentium suorum offas facturi in po-
 culis demergunt. Et subdit; Hæc à dicentibus
 erubescenda fuerant: si à facientibus præsum-
 pta non fuissent. Nunc autem sustineant in au-
 diendo verecundiam, qui in faciendo nolue-
 runt habere disciplinam. Idem: Temperanti-
 am manducandi intelligimus, si tractim homo
 &

*In tract. de
 institut. no
 uit. cap. 21.*

*Eodem cap.
 citato à
 medio.*

Eccl. 37.

& non cum nimia festinatione comedat. Ad hanc temperantiam pertinet, refrenare nimium appetitum cibi & potus: & se non effundere super escam. Noli esse auidus in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. August. Fieri potest, vt sine omni vitio cupiditatis vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens vtatur insipiens autem foetidissimæ gulæ flammam in vilissimum cibum inardescat: & sanius quisque more Domini, maluerit pisce vesci, quàm lenticula, more Esau. Non propter hoc continentiores sunt nobis plæreque bestix, quia vilioribus escis aluntur. Effusio vultus interioris super escam est, quando animus ad cibum sic trahitur, vt aliud cogitare non sinatur. Comitari solet scdam auiditatem inordinatio in scindendo panem, & sumendo cibum, & comedendo. Valet contra hanc auiditatem, Psalmi interpositio cum aliqua oratione. Ad idem etiam valet auditus sacræ Scripturæ, vel recordatio.

Bernard. In libro de vita solitaria: Cùm manducas, nequaquam totus manduces; sed corpore tuo suam refectionem procurante, non omnino anima suam negligat: sed de memoria suauitatis Domini, vel Scripturarum, aliquid quod eam pascit meditando, vel saltem memorando secum ruminet & digerat. August. in regula: Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentione audite: nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures audiant verbum Dei. Saluator diabolo tentanti de peccato gulæ, ait: Non in solo pane viuit homo, sed in omni

*In 3. regul.**cap. 13.**Matth. 4.*

omni verbo quod procedit de ore Dei: in sinu as
 cibum corporalem despiciendum esse propter
 spirituales. Contemnentibus cibum spirituales,
 & appetentes corporalem reprehendit Bernar-
 dus his verbis: Nobis conuenientibus in vnum,
 vt verbis Apostoli vtar, iam non est Domini-
 cam cœnam manducare. Panem quippe cœle-
 stem nemo est qui requirat: nemo qui retribu-
 at. Nihil de salute agitur animarum: sed nugæ
 & risus proferuntur in ventum. Idem: Inter
 prandendum quantum fauces dapibus, tan-
 tum aures pascuntur rumoribus, quibus
 homo totus intentus modum
 nescit in edendo.

*In Apolog.
 ad Guiliel-
 mum abba-
 tem, cap.
 Dicitur.*



Secundi libri eruditionis religiosorum finis.



TER.